

III. Theologie. No. 188.

Hunc librum Musis
suis inservientem
iure possidet
Theodor Mahlmann

TM 1345

Theodor Mahlermann

1 1803 deutsche 1804

2 1809

3 1816

4 1830

s. Vorwort der neuen Ausgabe!

S V M M A
THEOLOGIAE
CHRISTIANAE

SCRIPSIT

CHRISTOPH. FRID. AMMON
THEOLOGVS GOTTINGENSIS.

GOTTINGAE
APVD HENRICVM DIETERICH.

1803.

P R A E F A T I O.

Quum facile praeuideam, fore nonnullos, qui hanc theologiae summam, post *Doederlini*, *Mori*, *Eckermanni*, *Henkii*, aliorumque virorum, in hoc studiorum genere cum laude versatorum, libros eximios, superuacaneam esse autument *a)*; observationes

- a)* Fortassis etiam propterea, quod vires nostras nosmet ipsos iam periclitari meminerint in libro vernaculo: *Entwurf einer wissenschaftlich-praktischen Theologie*. Göttingen 1797. in 8. Spero tamen, propitios fore, qui hanc epitomen nobis in memoriam reuocauerint, si finem et argumentum vtriusque libri diuersum inter se comparare velint.

nonnullas praemittendas esse putavi, tum *de theologiae rationalis cum positiua commercio* in vniuersum, tum *de huius utriusque religionis nexus retinendi et vel nostris diebus seruandi studio sapienti et necessario*, priusquam de via, quam ipse hunc in finem ingressus sum, exponerem.

Theologiam Christianam, quatenus non e rationis humanae principiis vel meditationibus, sed e libris sacris, quos tanquam diuinos veneramur, interueniente explicationis grammaticae et philosophiae modestae atque circumspectae ministerio, deriuatur, *positiuam* adpellari, dubitatione caret. Scinduntur autem in partes diuersas theologorum studia, simulac notio eius, quod *positiuum* vocatur, atque natura finienda et constituenda est. Fuere nimirum auctores ingenio et meritis longe clarissimi, qui, antiquum voca-

buli significatum vrgentes *b)*), doctrinas in libris sacris obuias propterea *positiuas* adpellari existimarent, quia Deus, qui rem et aliter potuisset instituire, religionem naturalem atque necessariam *cultu arbitrario* auxerit, vt largiorem officii exercendi materiem praeberet et ampliorem campum adperiret, in quo pietas humana exspatiari et decurrere queat *c)*). At enimvero consideratum non habuerunt viri alias sagacissimi, arbitrium, quod humanae voluntati proprium est, in numinis naturam nullo modo cadere, cultumque Dei arbitrarium purioris

b) Vide locum Gellii N. A. X, 4. quo nomina *naturalia* opponuntur *positis* (τοῖς θεοῖς ὀνόμασι), quae et *arbitraria* adpellat.

c) B. Ernesti in vindiciis arbitrii diuini in religione constituenda: opusc. theolog. p. 195 sq. Conf. b. Mori commentarium in theologiae Christianae epitomen ed. Hempel Vol. I, p. 30.

euangelii doctrina proscriptum plane atque profligatum esse *d*). Quare difficultatibus neque eorum caret sententia, qui propriam *positivi* notam in *mera legislatoris auctoritate* quaerunt *externa*; qua, si vel in constitutione civili locum habeat, in rebus tamen ad religionem spectantibus eorum premitur et vero laeditur libertas moralis, qui in debita legibus diuinis obedientia praestanda ad diligentissimam veri explorationem internamque conscientiae *αὐτορρομίαν* ab ipsis scriptoribus sacris ablegantur *e*). Quapropter magis adridet eorum iudicium, qui id, quod *positum* est in religionibus, legibus atque poenis constituendis, non tam rationi, rerumque naturae aduersari, quam notio-

d) Ioh. IV, 23 sq. Rom. XII, 1 sq. 1 Petr. II, 5.

e) Ioh. VII, 17. Rom. II, 12 - 15. XII, 1 sq. 1 Thess. IV, 9. V, 21.

nibus sacris atque iustis *uniuersis*,
 tanquam *singulare* atque *speciale*
 quid, adiunctum esse statuunt *f*); et
 qui cum maxime *theologiam positiuam*,
 quae et religionem continet, ad *pro-*
videntiae diuinæ actum singularem
 referunt, quo *doctrinae sacrae*, ipsa
natura rerum et ratione duce ab ho-
 minibus nondum cognitæ, numine pro-
 curante, suamque hunc in finem aucto-
 ritatem interponente, cum generis hu-
 mani parte una vel altera, virorum
 sapientium interuentu communicantur,
 et exemplis factisue idoneis firmatae
 illustrantur. Patet itaque ad theolo-
 giam, quae non hominum arbitrio et
 supercilio, sed numinis ipsius effi-
 cientia posita existimari debet, requiri
 hoc, vt primum theologiae naturali,

f) Praeunte iam Aristotele, qui νόμον
 κοινὸν et ἴδιον simili ratione seiungit:
 κοινὸν μὲν λέγω τὸν κατὰ Φύσιν, ἴδιον
 δὲ τὸν ἐκάστοις ὀρισμένον πρὸς αὐτοὺς.
 Rhetoric. l. I. c. 13.

vel vniuersali, ceu fundamento superstructa sit, et cum ea, tanquam leges naturales cum specialibus in ciuitate bene administrata, vinculo arctissimo coniungatur. *Deinde* opus est, vt doctrinis Deo dignis in ea obuiis auctoritas diuina praefigatur, quum ab iis, quibus cognitio earum primum obtigit, non solo naturae et rationis ductu atque praesidio, sed numine sapienter procurante inuentae et acceptae esse credantur. *Postremum* facta in ea quaeremus et exempla egregia atque memorabilia, quibus notiones sacrae firmari, oculis subiici, et phantasia intercedente, in sensuum piorum societatem venire et descendere possint. Has autem theologiae positivae notas omnes in religionis Christianae fontes sacros quadrare, vel obtutu primo clarum est; continent enim cognitionis Dei e rerum natura, ipsaque ratione haustae monumenta quamplurima; institutionis

salutaris praecepta fere omnia ad instinctum numinis singularem referunt; et, quod caput est, cum historia virorum, coeli commerciis insignium, tam arcte cohaerent, ut sensus etiam lectorum internos atque imaginationem in pia virtutis consortium adducere valeant.

Quae cum ita sint, patebit etiam, *theologiae Christianae, adeoque positivae studium vel nostris diebus neutiquam contemnendum*, sed potius commendandum et contra ingeniorum mobilium ausus auctoritate quavis tuendum esse. Hoc enim officio sibi imposito ut rerum diuinarum doctores publici strenue et pro virium facultate fungantur, suadet evangelii proprie sic dicti argumentum salutare, vereque diuinum, cuius vi et efficacia coelesti animi Christianorum in religione cognoscenda, moribusque exprimenda, vel nostro aeuo tutius at-

que conuenientius reguntur, quam scientia, quae philosophiae interdum nomen mentitur, inani, formularumque scholasticarum ostentatione superba, quibus sacrorum antistites subinde impliciti, a fide religiosa, virtutis cuiusvis matre, aberrauerunt, immortalitatis spe et fiducia certa exciderunt, suaeque etiam, quos incuria et lenitas seculi institutioni publicae adhuc reliquit, disciplinae alumnos in transuersum abripuerunt. Accedit ingeniorum, religionis atque sapientiae, quae vitam publicam atque priuatam gubernare et moderari queat, cognitione a verbi diuini ministris imbuendorum natura et indoles, non probationes longe petitas, subtilitatesque metaphysicas desiderans, sed ita potius comparata, vt primum sanae doctrinae auctoritate diuina tangi et vero corripri, deinde a factis, sensibus et institutione theologiae historica ad notiones puriores atque clariores pro-

gredi, et, posthabitis dubitationibus a vulgo vix conuellendis, in fide simplici eaque practica adquiescere debeat. Neque etiam praetermitti potest ecclesiae Christianae, singularumque eius societatum constitutio publica, ad librorum sacrorum auctoritatem semel adligata, certisque legibus ad communem reipublicae vtilitatem circumscripta, qua, in summa licet conscientiarum libertate, sapienter tamen cautum est, ne erroneae in ipsa ecclesia commentis suis indulgeant, fidei publicae, cum verbo Dei nimirum et confessione virorum sapientium et piorum congruentis, fundamenta evertant, variorumque ex arbitrio placitorum semina proiciant. Quamvis enim fidei confessionem publicam, in societate ecclesiastica semel receptam, ad temporum, meliorisque cognitionis, rationes semper exactam fuisse, et imposterum etiam studio indefesso exigendam, adeoque emendandam esse,

historia omnis loquatur et idoneis argumentis suadeat; patet tamen, institutionem religionis Christianae tum ab historia saluatoris, aevi apostolici, maiorumque auctoritate, tum a norma quadam externa, eaque publica semper pendere, proptereaue etiam theologiae positivae qualiscunque formam servari, summoque studio defendi debere.

Hac itaque, de qua hucusque exposui, persuasione utens, orbe praelectionum dogmaticarum habendarum saepius ad me redeunte, ad hanc, quam aequis lectoribus exhibeo, theologiae Christianae summam elaborandam animum adpuli. Secutus autem sum hunc fere ordinem, ut in dogmate quovis enarrando primum institutionis biblicae lineamenta sine studio, vel opinione praeiudicata ducerem; deinde doctrinam ecclesiasticam, cum ex libris symbolicis, quorum senten-

tiae interdum turpiter a futuris religionis doctoribus ignorantur, tum e *Lutheri*, *Melanchthonis*, *Chemnitii*, *Calouii*, *Quenstedtii*, *Hollazii*, aliorumque huius aevi theologorum scriptis, interuallis hinc inde ex historia completis, quasi in agmen secundum instruerem; postea, praecipuorum nostri atque temporis proxime superioris theologorum auctoritate atque praesidiis firmatus, antiquioris doctrinae censuram modestam, hominumque nobis coaeuorum ingeniis et cogitandi rationi consentaneam subiicerem. Quamuis enim ante omnia monendi sint tirones atque ita formandi, ut ecclesiae aliquando bene praeesse discant; cauendum tamen est magno opere, ne typos doctrinae, per omnia secula diuersos, cum doctrina salutari ipsa permutent, imaginum, allegoriarumque formas pro veritate amplectantur, sententiarum singularum durtie offendantur, ipsisque iam dogma-

tibus tacite illudant, quae mox pro concione proponere et explicare debent. Nihil enim, nostris imprimis temporibus, tristius atque atrocius evenire posset ecclesiae, quam ut doctores, verbique diuini ministros in sinu foveat, qui turpi quaestus cupiditate adlecti, verae autem, quae ex intima, de religionis doctrina coelesti, persuasione oritur, facundiae expertes, officia sacra obirent, et ceu χαλκὸς ἡχῶν καὶ κύμβαλον ἀλαλάζον euangelii, clandestina incredulitate ab iis explosi, publice tamen proponendi curam in se susciperent. Quidni itaque theologiae Christianae doctoribus liceat, in academica saltem religionis institutione ipsius Iesu Christi vestigia premere, qui easdem euangelii doctrinas aliter populo, aliter iis apostolis, qui interioris admissionis erant, explicare, grauissimasque de dignitate Messiae, de animorum perennitate et iudicio post mortem exspectando sen-

tentias mox imaginibus receptis allegoriisque Iudaicis inuoluere, mox proprie propositas informare et clariori in luce collocare solebat? Hoc itaque, idque praestantissimum exemplum intuens, ante omnia ea, quae in nostra disciplina certa sunt atque indubitata, tenenda, firmanda, et ab incertis vel ambiguis separanda; cetera simpliciter proponenda, et tum auctoritati ecclesiae, si forte adhuc defendi queant, publicae, tum ipsorum lectorum prudentiae et arbitrio relinquenda esse putavi. Huic enim docendi sapientiae, vt sacrarum literarum amatores, ceu magistrae vitae, inprimis studeant, monet insigne saluatoris praeceptum g); monet veritatis diuinae natura infinita, non ab vno, vel altero doctore in se recepta, et plenis quasi faucibus hausta, sed inter plures, secundum cognitionis modum

g) Matth. X, 16.

varium sapienter diuisa *h*); monent denique et diuersa eorum, qui ecclesiae regundae praefecti sunt, ingenia, qui, pro sua quisque studiorum ratione, ex vno eodemque disciplinae nostrae fonte sententias tamen varias deriuare, iisque in explorandis iuuenum ingeniis tanquam norma vti solent. Veniam itaque dabunt lectores, si me in adumbrandis theologiae Christianae capitibus non tam ad singula dicta biblica, quam ad notiones euangelii vniuersas respexisse deprehenderint. Neque enim hoc nobis datum erat negotii, vt sententias diuinas, easque cum salute hominum coniunctas, ex vno vel altero librorum

h) Eadem spectamus astra, commune coelum est, idem mundus nos inuoluit; quid interest, qua quisque prudentia verum inquirat? *Vno itinere non potest perueniri ad tam grande secretum.*
 SYMMACHUS epistol. l. X. ep. 54.

sacrorum loco exsculperemus, singulis vocibus aut formulis inhiaremus, easque allegoricae, vel moralis, quam iactitant, interpretationis auxilio ad finem nostrum detorqueremus; sed ut potius, fundamentis rite positis, principiisque doctrinae evangelicae diligenter exploratis, a placitis vniuersalibus ad specialia ordine naturali progredieremur, singulisque thesibus apte concatenatis et in corpus quasi conglutinatīs, memoriae lectorum quorumcunque lucem adferre studeremus. Temperauimus itaque nobis a partium omnium, philosophicarum imprimis, studio; in auctoribus excitandis delectum adhibuimus, suppressa tamen, breuitatis ergo, honorum praefatione et significatione qualicunque; lectionem variam et multiplicem non congestis vndique titulorum plaustris ostentandam, sed argumentis et meditationibus, intra corpusculi theologici limites se continentibus, arbitris

peritis et aequis probandam esse putauimus. Quae quidem opera nostra, si viris doctis non displicuerit, et ad lites theologicas sopiendas, veramque numinis optimi, sapientissimique, cui inuoluti sumus, ordinis rerum moralis cognitionem promouendam apta et idonea deprehensa fuerit, tacite et in sinu gaudebimus.

D. Gottingae d. 26. Decembr. 1802.

CONSPECTVS
H V I V S S V M M A E.

Praecognoscenda theologiae christianae.

Particula prima.

De theologia in vniuersum. §. 1 - 5.

Particula secunda.

De theologia rationali et reuelata. §. 6 - 21.

Particula tertia.

De theologiae natura et indole. §. 22 - 27.

Pars prima, de Deo in vniuersum.

Sectio prima.

De numinis natura et existentia. §. 28 - 45.

Sectio secunda.

De trinitate Dei. §. 46 - 55.

Pars secunda, de creatione et gubernatione mundi.

Sectio prima.

De creatione mundi, hominum et angelorum. §. 56 - 76.

Sectio secunda.

De gubernatione mundi. §. 77 - 89.

Pars tertia, de ordine diuino salutis hominibus per Iesum Christum paratae.

Sectio prima.

De Iesu Christo, saluatore hominum. §. 90 - 101.

Sectio secunda.

De modo salutis per Christum consequendae.

Partitio prima.

De vocatione et praedestinatione. §. 102 - 105.

Partitio secunda.

De fide. §. 106 - 110.

Partitio tertia.

De reconciliatione hominum cum Deo. §. 111 - 121.

Partitio quarta.

De sanctificatione hominis reconciliati. §. 122 - 128.

Partitio quinta.

De remediis salutis externis. §. 129 - 147.

Partitio sexta.

De ecclesia Christiana. §. 148 - 154.

Pars quarta, de rebus post mortem futuris.

Sectio prima.

De existentia hominis post mortem. §. 155 - 164.

Sectio secunda.

De sorte humana post mortem exspectanda. §. 165 - 173.

PRAECOGNOSCENDA
THEOLOGIAE CHRISTIANAE.

A

THEOLOGISCHE BIBLIOTHEK
HALLERSCHE BIBLIOTHEK

PRAECOGNOSCENDA
THEOLOGIAE CHRISTIANAE.

PARTICVLA PRIMA.
DE
THEOLOGIA IN VNIVERSVM.

§. 1.

Origo religionis.

Homo, imperio sensuum excusso, persuasionem sibi induit sensim, cum *timendo*, tum *amando* et *contemplando*, pendere se a quodam superiore, cui venerationem, obedientiam, gratamque mentem debeat. *Religionem* dicunt istum animi sensum, cuius natura, siue eum προσκίνησιν Θεῶν ἐν πνεύματι καὶ ἀληθεΐα, λογικὴν λατρείαν, εὐσέβειαν a), siue studium similitudinis cum Deo b), siue cultum diuinum c) esse putes, in eo semper posita deprehenditur, vt sit conscientiae vinculum, quo cogitando, vo-

lendo et agendo numini nos obstrictos esse sentimus d).

- a) Ioh. IV, 24. Rom. XII, 1. 1 Timoth. VI, 2.
- b) ἑξομολογῆσαι τῷ Θεῷ κατὰ τὸ δυνατόν. Plato in Theaeteto pag. 122. ed. Bip. Antonin. de se ipso lib. X. §. 8.
- c) Externus et internus, publicus et priuatus, verus et falsus. Conf. Lactantii institut. diu. lib. I. de falsa religione: Augustini liber vnus de vera religione.
- d) Lactant. institut. lib. IV. c. 28. reiecta Cicero-
nis originatione; de nat. Deor. lib. II. c. 27.
Rem ipsam illustrat satis Spalding in libello:
*Die Religion eine Angelegenheit des Men-
schen.* Lipsiae 1797.

§. 2.

Nexus cum theologia.

Omni tamen caritura esset religio fundamento, nisi niteretur *theologia*, quae obiectiue sumta est *doctrina de Deo relato ad mundum et ad homines in specie*; subiectiue cogitata, *cognitio huius doctrinae*. Differt itaque theologia a religione neque facultate docendi, neque subtilitate quadam expositionis, quae vtrique communis esse potest; sed relatione duplici, qua creator et spiritus creati in ordine rerum morali erga se positi inueniuntur. *Theologiae* est, exponere de natura, voluntate et consiliis legislatoris summi: *religionis*, suadere obedientiam

sapientissimae et optimae legislationi praestandam.

Vestigia huius discriminis non solum in libris sacris iam occurrunt (Matth. XXVIII, 19. 20. 2 Timoth. II, 19); sed differentia ipsa a nobis constituta etiam etymo vocis *theologia*, et linguae vsu, tum profano (vid. *Diogen. Laert.* lib. I. c. XI. §. 8.), tum ecclesiastico (*Suiceri thesaurus eccles.* v. *θεολογία*) et communi fere confirmatur. Turbatus et adulteratus est verus et genuinus vocis significatus ex eo inde tempore, quo *θεολόγου* nomine is demum insigniebatur, qui diuinam Iesu Christi naturam docte contra aduersarios vindicare nouerat. Conf. *Rosenmülleri libellus: de theologiae Christianae origine*, Lipsiae 1786.

§. 3.

Praestantia theologiae.

Theologia inter humanas disciplinas omnes primum sine dubio sibi vindicat locum, tum ratione *dignitatis*, quia ad summas notiones euehit animum humanum; tum ratione *ambitus*, quia immensum terrae coelique orbem ceu aeternum numinis regnum luce sua amplectitur et illustrat; tum ratione *utilitatis*, quia ad remotissimam veri et boni adyta penetrat, adeoque purae sapientiae et virtutis semina in humano pectore fouet atque excitat, (Iob. XXVIII, 28. Sirac. I, 1. 16); tum denique et ipsius *amoenitatis* ratione habita, quia mentem humanam ad coe-

lestia emergentem egregiis meditationibus sensisque pascit et inter summas calamitates fiducia et spe laetissima recreat (Psalm LXXIII, 26). Discant itaque bona sua iusta lance ponderare scientiae diuinae alumni, tenentes probe, nullam disciplinam cum sana ratione magis conuenire, tutioremque ad felicitatem puram sternere viam, philosophia de Deo et religione, quam sibi excolendam et in imas medullas conuertendam sumit theologus.

Formulam *regni Dei*, qua melioris doctrinae auctor (Ioh. I, 1.) saepissime vsus est, eo, quem *ipse* verbis substrauit sensu, non externam eamque Messianam, sed internam portendere conuersionem animarum, qua veri cognitione et perfectione spirituali et per hanc sempiterna felicitate potituri essent, ne quidem indice, dubitatione caret (vid. Matth. IV, 17. Luc. XVII, 21). Eodem tendunt, quae Stoici de mundo, communi hominum et numinis ciuitate (Cicero fin. III, 19), et de *sacro vniuersi vinculo* (ἐὐδαιμονιστικὴ ἐστὶν ἡ ἀληθεία: Antonin. de se ipso lib. VII. §. 9.), seu veritate a numine proueniente philosophati sunt.

§. 4.

Difficultates studii theologiae.

Dissimulari interim nequit, studium diuinae scientiae multis, iisque haud facile effugiendis, laborare difficultatibus. Postulat enim ratione *subiecti* non eximiam solum ingenii foecunditatem, sa-

gacitatem et solertiam, sed mentem etiam puram, sanctam et cupiditatum illecebris non offuscatam, quae ad coelestia emergere eaque firma fide amplecti et tenere queat *a*). Accedit, respectu habito ad *fontes*, rationis humanae, tanto campo emetiendo fere imparis, imbecillitas (1 Cor. XIII, 12); librorum autem sacrorum omnis generis multitudo, ambiguitas, obscuritas et argumentum varium, cui excutiendo et plane digerendo praeclarum iudicium et multiplex eruditio vix suffecerint. Quae omnia superantur adhuc inenarrabili *obiecti* sublimitate et numinis perfectione spirituali (Iob. XI, 7-9), quae, siue humanis concepta imaginibus, superstitioni et somniis dogmaticis facile viam sternit; siue anthropomorphismi vinculis liberata et in notiones, quas puras esse volunt, resoluta, captum humanum haud raro excedit, in formulas cassas et inanes extenuatur, et meditationis abusu incredulitatem ipsam fouet et excitat. Debet itaque omnino curari atque prospici, vt his tantisque impedimentis laeta ingenii *exordia*, morum innocentia, diligentiae pertinacia, meditandi perseverantia, docendi prudentia obiiiciantur; quo facto sperare licet, fore, *vt instructus euadat theologus, cuius operi bono idoneus* (2 Timoth. III, 17).

a) Nihil enim ad peripiendam veritatem magis impedit, quam vita libidinibus dedita et falsae imagines rerum sensibilibus, quae nobis ab hoc sensibili mundo per corpus impressae varias opiniones erroresque generant. AUGUSTINUS de vera religione c. III.

§. 5.

Diuisio theologiae.

Differt theologia ratione fontis, argumenti et methodi. Ratione fontis theologia omnis est siue rationalis vel naturalis, quae iterum diuiditur in puram (ontotheologiam) et empiricam (physicotheologiam); siue historica vel positua, quae auctoritatem quandam externam pro norma habet, cum diuinam (reuelata), tum humanam (symbolica). Ratione argumenti est theoretica, quam et dogmaticam vocant a), et practica siue moralis; est thetica, biblica, historica; normam ecclesiasticam sequens (orthodoxa), et ab illa recedens (heterodoxa) b). Ratione methodi est systematica et popularis; acroamatica et cathechetica. Nostra institutio lineamenta ducet theologiae positivae Christianae, rationi sanae consentaneae, quam quidem conuenientiam proxima sectione illustrabimus.

a) Nulla ars contemplatiua, monente Seneca (epist. 95) sine decretis suis est, quae Graeci *δουλευμα* adpellauere. In N. T. sententiae et

scita apostolorum (Act. XVI, 4), et apud *Ori-*
genem et *Basilium M.* doctrinae Christianae
 audiunt *dogmata*. *Kantius* (Critik der reinen
 Vernunft pag. 764) propositiones apodicticas
 omnes diuidit in *dogmata* (directsynthetische
 Sätze aus Begriffen) et *mathemata*. Quae omnia
 docent abunde, dogmata cum opinionibus et
 commentis misceri non debere, neque theolo-
 giae dogmaticae nomen ita vanum et irritum
 esse, vti nonnulli putant.

b) In libris sacris ישר, ἕρπον, *recti, veri* (Psalm.
 XLV, 7. Hebr. XII, 13), שׁוּבִים, σκολιόν (Ies.
 XL, 4. XLII, 16. Phil. II, 15), *tortuosi, falsi,*
prauū notionem innouit. Inde formulae, ἑ-
 ροδομεῖν λόγον ἀληθείας, *recte tradere religionem*
 (2 Timoth. II, 15): ἑρδοπεδεῖν πρὸς τὴν ἀλήθειαν
 τοῦ εὐαγγελίου, *recte incedere secundum praecepta*
euangelii (Gal. II, 14), quae plane respondent
 τῇ ὁγιανοῦσῃ διδασκαλίᾳ (1 Timoth. I, 10), vel
orthodoxiae euangelicae. Apud patres ecclesiae
 (v. c. in dialogis *Theodoretii*), δὲ ἑρδῶδες oppo-
 nitur τῷ κακοδόξῳ idemque est ac ὁ ὁπὲρ τῶν ἀπο-
 στολικῶν δογμάτων ἀγωνιζόμενος. Theologi *ortho-*
dossi gloriam dogmatici vindicant ei, qui publi-
 cis ecclesiae suae symbolis conuenienter sen-
 tit; philosophi contra veri amico et scruta-
 tori felici. Debemus itaque distinguere inter
 ἑρδῶδειαν *biblicam, ecclesiasticam, symbolicam*
 et *philosophicam*, si indicare placet de iis,
 quibus in doctrinis fidei δοκεῖ ἐτερεῶς. Conf.
Pauli commentatt. theolog. Ienae 1795. p. 18.
Flattii Magazin für Dogmatik und Moral,
 Tübingen 1796. St. I. p. 137 sq.

PARTICVLA SECVNDA.

DE

THEOLOGIA RATIONALI ET REVELATA.

§. 6.

Utilitas theologiae rationalis.

Scientiae diuinae studium profundius a theologia rationali, cum pura, tum empirica, repetendum esse, argumentis sat grauibus contenditur. *Primum* enim numinis existentiam in reuelatione qualicunque iam supponimus a), cognitionem eius positiuam in animi notione, tanquam vestigio, reponentes. *Adde*, libros sacros cognitionem Dei naturalem, tum externam (Psalm. CXIX, 89. Rom. I, 19 sq.), tum internam (Ierem. XXXI, 53. Hebr. VIII, 10. Rom. X, 6-8,) summis laudibus extollere. Patet *denique* ex rei natura et aliarum disciplinarum (v. c. iuris) analogia, cognitionem positiuam qualemcunque, ceu specialem, singularem, interuallis et lacunis distinctam, pendere a notionibus vniuersis vel rationalibus, adeoque nullam theologiam reuelatam peritis probari et ab iis explorari posse, nisi ad ipsam mentis humanae naturam, ceu ad lapidem Lydium, exigam-

tur (Ioh. VII, 17) *b*). Quapropter dolendum est grauissime, theologiae naturalis studium a multis negligi, imo contemni atque despici *c*).

a) Conf. librum nostrum: *biblische Theologie*. t. I. p. 73 sq. edit. sec.

b) De Platoniciis adserit ipse *Augustinus*, eos paucis mutatis verbis et sententiis Christianos fieri posse (de vera religione cap. V.) Quidni pronuntiemus idem de philosophia quavis hoc nomine digna!

c) Confor. quae *Kantius* praefatus est libro: *Die Religion innerhalb der Grenzen der bloßen Vernunft*. Regiomonti 1793. fine.

§. 7.

Theologia positiua Christianorum.

Quum autem, rationi ac diuinitati obsequi *a*), paucissimis datum sit, consulit inter nos prouidentia imbecillitati plurimorum per viros Iudaeos eosque sapientes, qui suis coaeuorum institutionibus diuinis diuinam etiam praetexere auctoritatem ausi sunt. Horum virorum itaque libri, *foederis antiqui et noui b*) postea nomine insigniti (Exod. XXIV, 8. Sir. XXIV, 32. 2 Cor. III, 14. Hebr. IX, 15. Matth. XXVI, 28), pro norma theologiae positiua sensim a Christianis habiti sunt, quia vtriusque collectionis argumentum ab auctoribus ipsis ad numinis consensum et voluntatem referri (2 Tim. III, 15 sq.

2 Petr. I, 20 sq. 2 Cor. I, 10. Ephes. III, 5. Ioh. XVI, 13) c), relatumque verum esse non dubitauerunt.

a) τὸ ἔπειθαι τῷ λόγῳ καὶ τῷ θεῷ. Antonin. de se ipso l. XII. §. 31.

b) Non testamenti, vt Lactantius ait inst. IV, 20.

c) Conf. theol. nostra biblica ed. 2. tom. II. p. 36 sq.

§. 8.

Reuelationis notio biblica.

Adfirmant nimirum auctores sacri, suam rerum diuinarum cognitionem a numine ipso originem trahere, eamque communicationem veritatis coelestis *revelationem*, vel manifestationem adpellant rei antea incognitae (Matth. XI, 25. 1 Cor. II, 10. *Φανερώσις* Rom. I, 19 sq.). Prouocant in huius rei fidem *tum* ad reuelationem *naturalem* (Psalm. XIX, 1 sq. Rom. I, 19 sq.), et *spiritualem* (Es. XLII, 1. Sap. IX, 17. Matth. X, 20. 1 Cor. II, 10), vel *rationalem*; *tum* ad *conuersationes cum Deo* (Gen. III, 8–10. Exod. III, 2 sq. XIX, 20.) et *angelis* (Act. VII, 53. X, 3 sq.); ad *somnia* (Gen. XXVIII, 12. Matth. I, 20) et *ecstases* (Ies. VI, 1 sq. Ierem. XIII, 4 sq. Act. X, 9 sq. 2 Cor. XII, 2–4); ad *voces coelestes* (Matth. III, 17. Act. IX, 4 sq.), et *instinctum singularem* (1 Sam. X, 10. Ioh. XI, 51. Act. II, 4. 2 Tim. III, 16), quem postea *inspirationis*, h. e. adflatus

diuini vel ἐν θουσιασμοῦ, nomine celebra-
runt. Neque tamen silentio premi debet,
auctores sacros non omnibus, quae effati
sunt, vel scripsere, auctoritatem diuinam
praeferre, sed nonnulla (1 Cor. VII, 12),
ceu humana, suomet ipsorum iudicio et
arbitrio vindicare.

Observari debet, ne iusto plus arroganisse sibi
videantur scriptores biblici, iam ex eo inde tempore,
quo emanatismi notiones ingenia Iudaica occupaue-
runt (Jerem. XXIII, 24), spiritum diuinum, siue
verbi diuini institutionem, quam vocant immedia-
tam, adfatim Israelitae cuius potuisse obtingere.
Conf. Jerem. XXXI, 33 sq. Ioel III, 1 sq. Sap. VII, 27 sq.
Mirari itaque haud subit, in N. etiam T. sententias
et dicta doctorum et vulgi interdum halitu diuino
animari ad illumque reuocari. Conf. Matth. XVI, 17.
Act. X, 44. 1 Cor. XII, 4 sq. 1 Thessal. IV, 9. 1 Joh.
II, 20. 27. Quidni variis auctoribusque sacris con-
cesserit spiritum suum, qui vita, halitu et intelli-
gentia replet omnia (Act. XVII, 25. Exod. XXVII, 3)?

§. 9.

Doctrina symbolica et ecclesiastica.

In libris nostris symbolicis de variis
hisce reuelationis modis plane nihil con-
stitutum est, praeunte quamuis Luthero
in locis scriptorum suorum variis a);
multo minus de inspiratione, quae propter
fanaticorum arrogantiam tunc temporis
male audire coeperat b). Suppleuit tamen
mox, quod deesse videbatur, sedulitas

doctorum *ecclesiastica* mira sententiarum et commentorum varietate. Exstiterē nimirum *dogmatici* (supranaturalistae), qui *reuelationem* actum Dei vniuersalem adpellarent, quo doctrinas religionis antea incognitas cum scriptoribus sacris communicauit; *inspirationem* autem actum specialem, quo conceptionem doctrinarum et scriptionem in mente horum auctorum per spiritum sanctum moderatus est c). Neque defuere theologi satis clari, qui in hoc discrimine vel nostris temporibus acquiescerent d).

- a) "Darum ist diese Weise der Offenbarung, dadurch Gott mündlich redet und mit dem Glanz seines Lichtes die Herzen erleuchtet, viel gewisser, denn Träume und Gesichte." Opp. ed. Walch Tom. I. p. 1405.
- b) Lutheri opp. T. XI p. 2848 sq. Walchii Einleitung in die Religionsstreitigkeiten P. I. p. 591. 631 sq. Artic. Smalcald. P. III. art. 8. de confessione.
- c) Conf. Calouii, Quenstedtii, Hollazii systemata ad h. l. et commentationes meas theologicas (Abhandlungen zur Erläuterung der wissenschaftlich-praktischen Theologie) part. I. Gottingae 1798. pag 36 sq.
- d) Conf. b. Doederleinii christlicher Religionsunterricht Th II. pag. 81. Seiler über die göttliche Offenbarung. Erlang. 1796. p. 221 sq. Storr doctrinae christ. pars theoretica. Stuttgart. 1793. p. 65 sq.

§. 10.

Sententiae recentiores.

Imminuta tamen est post breue intervallum sententiae huius auctoritas *tum* studiis Syncretistarum et Pietistarum, qui theopneustiae periculum (2 Timoth. III, 15) non ab omnibus et singulis libris sacris subiri posse ingenue docuerunt *a)*; *tum* interpretum biblicorum eruditione et solertia, qui de authentia, de *ΕΥΑΓΓΙΟ-ΦΑΝΕΙΑΙΣ*, de opinionibus temporum et adcommodatione scripturae sacrae ad illas multa liberius disputaverunt *b)*; *tum* commentationibus historicorum, qui aliorum populorum religiones et superstitiones laudabili diligentia excusserunt *c)*; *tum* denique et philosophorum conatibus, qui in adserendo rationis primatu vel in hac doctrina nunquam defessi sunt *d)*. Surrexerunt itaque theologi, qui vel in libris sacris *singula tantum reuelationis documenta* deprehenderent *e)*; vel reuelationem biblicam omnem ad *naturalem et mediatam* reuocarent *f)*; vel reuelationis et legationis diuinae notiones ad *infantiam generis humani* ablegarent (*naturalistae*) *g)*.

a) Conf. scripta *Arndii, Calixti, Speneri, Frankii, Toellneri* al.

b) *Grotius, Clericus, Vitringa, I. A. Ernesti, I. D. Michaelis, Semlerus* al.

- c) *Vossius de theologia gentili*. Francof. 1668. 4.
Tab Pfanner systema theologiae gentilis pu-
rioris. Basil. 1679. 4. Conf. scripta *Meinersii*,
Iselini, *Herderi*, *Stäudlini* al.
- d) *Kant die Religion innerhalb der Gränzen der*
bloßen Vernunft. p. 235 sq. *Fichte Kritik*
aller Offenbarung. Königsb. 1792. ed. 2. 1793.
Kritische Theorie der Offenbarung. Halle 1792.
Niethammer Versuch einer Begründung des
vernunftmässigen Offenbarungsglaubens. Leip-
 zig 1798. *Kritik der christlichen Offenbarung:*
oder einzig möglicher Standpunct, die Offen-
barung zu beurtheilen. Leipzig 1798.
- e) *Ierusalem Betrachtungen*, P. II. von der Offen-
 barung. Braunschweig 1780. *Lessing Beiträge*
zur Geschichte und Litteratur. IV. St. Braun-
 schweig 1777. p. 522 sq. von der Erziehung
 des Menschengeschlechtes. *Doederlein christ-*
licher Religionsunterricht. Th. I. p. 93.
- f) *Niemeyer populäre und praktische Theologie*.
 Halle 1799. p. 32 sq. *Eckermanni compend.*
theol. Christianae §. X. *Henkii lineamenta*
fidei Christianae §. XV.
- g) *Henke's neues Magazin für Exegese*. Tom. I.
 p. 453 sq. *Über Offenbarung und Mythologie*.
 Berlin 1799.

§. 11.

Consectaria critica de reuelatione et in-
spiratione.

Fatemur autem ingenue, nobis in
placitis hisce recentioribus nonnulla te-
 mere effusa videri, cum propter summam
 constantiam, quo Iesus praesertim suam

legationem diuinam sustinuit (Ioh. V, 23. 30. VII, 16. XII, 44); tum propterea, quod institutio diuina mediata et ex causis secundariis proficiscens in omni cognitione humana locum habet, adeoque reuelationis nomen vix meretur. *Theopneustiae* autem, quotquot supersunt adhuc, *fautoribus* respondetur paucis, inspirationis proprie sic dictae notionem non sine summo incommodo morali ad mentem humanam transferri a); auctores sacros instinctum diuinum, quo sibi correpti esse videbantur, ad oracula quidem, sed nunquam ad sermonem pedestrem, multo minus ad scripta retulisse b); diuersitatem orationis, fontium (Num. XXI, 14. Ios. X, 13. Luc. I, 3), chronologiae (Matth. XXIII, 35. Luc. II, 2. Act. V, 56 sq. VII. tit.) librorum sacrorum testari abunde, auctores saepissime suo arbitrio fuisse relictos; magnamque denique partem eorum, non ab illis, sed ab interpretibus et amanuensibus (Rom. XVI, 22. Col. IV, 18. 2 Thess. III, 17), de quorum adflatu diuino vix constat, literis traditam esse.

a) *Θεοπνευστία* proprie sumta et ceu ἐπίνοια τοῦ θεοῦ (Ioseph. contra Apion. I, 6,) cogitata, non solum numinis et mentis humanae naturam spirabilem esse innuit (Psalm. CIV, 29 sq.);

sed libertatem etiam hominis intellectualem et moralem penitus tollit et auctores sacros mutat in ἔργων τοῦ Θεοῦ ἔχοντα, κρούμενα καὶ πληττόμενα δοξάτως ὑπ' αὐτοῦ: Philo, quis rerum diu. haeres: opp. ed. Pfeiffer tom. IV. p. 116. Neque etiam furor vatium aliter describitur apud poetas: Virgil Aeneid. VI, 46 sq. Conf. Herder Briefe das Studium der Theologie betreffend. part. I et XII.

b) Num. XI, 25 sq. 1 Sam. X, 10 sq. XIX, 20 sq. Jerem. I, 9. 1 Cor. II, 13. 2 Petr. I, 21.

§. 12.

Continuatio.

De reliquis autem institutionis diuinæ modis (§ 3.) tenendum est, adparitiones numinis in N. T. diserte negari (Ioh. I, 18. 1 Tim. VI, 16); somnia (Sir. XXXIV, 2) et visiones etiam falsis prophetis obici (Jerem. XXIX, 8. XXIII, 16. XII, 14); voces caelestes autem pauca, eaque tonitruum fragori inuoluta (Ioh. XII, 29), elocutas esse a). Restat itaque ad vindicandam eorum, quae diuina sunt in libris sacris, originem caelestem reuelatio naturalis et spiritualis; *qua diligentius considerata patebit omnino, scriptores biblicos meditationes suas diuinas non sine summa religione ad numinis, de cuius adsensu fide certi erant, voluntatem et auctoritatem retulisse b).*

a) Conf. Maimonides de reuelatione prophetarum in *Vitringae* observ. sacr. tom. II. p. 361. et *theologiam nostram bibl.* tom. I. p. 58.

b) ἑκάστου νόος θεός καὶ ἐκείνους ἐπὶ νόους (*Anton.* XII, 15), docuere Stoici (*Cicero* legg. I, 22): et Homerus mentionem iniicit vatis, qui, licet ἀυτοδίδακτος, carmina sua tamen caelitus sibi indita esse adserit (*Odyss.* lib. XXII. v. 347). Confer in easdem sententias loca N. T. Act. XVII, 28. Matth. XVI, 17. Act. XV, 22. 2 Cor. XII, 9. 1 Thess. IV, 9. *theol. bibl.* I, 66 sq. et *Eckermannii* Handbuch für das systemat. Studium der christlichen Glaubenslehre. Altona 1807. tom. I. p. 423 sq.

§. 13.

Vaticinia.

Neque tamen sufficit, scriptoribus sacris tantum persuasum fuisse de diuinitate doctrinae; etiam coaenis suis illam probare debebant argumentis, cum *externis*, tum *internis*. Ad illa spectare putantur primum *vaticinia*, (*Luc.* XXIV, 44. Act. II, 16 sq.), quae *praedictiones* esse perhibentur *rerum futurarum contingentium*, quibus *euentus* respondit a). Liceat philosophis, disputare, an cogitari et locum habere possint eiusmodi diuinationes b)? Excussis oraculis sacris patet facile, praedictiones vere et proprie sic dictas a Christo ipso recusari (*Matth.* XXIV, 36. Act. I, 7), adeoque in libris

biblicis non occurrere *c*); vaticinia etiam ab ambiguae fidei hominibus edita (Num. XXII, 5 sq. 1 Reg. XXII, 22) *d*); multa eorum obscure concepta et euentu etiam destituta (Ies. II, XVII, Ioel. III, 3 sq.) *e*); alia, singulari temporum illorum studio, post factum exarata (Ies. LII. sq. Dan. IX, 24 sq. Matth. XXIII, 35) *f*); plurima allegorice explicita euentis postea demum substrata esse *g*). Quibus nubeculis cum omnia fere vaticinia V. et N. T. inuoluta sint *h*); colligitur, argumentum ab iis petitum, apud Iudaeos quidem, interpretationi vatum suorum allegoricae, adsuetos, efficacia sua non caruisse; inter nos autem idem argumentum egere venia quadam non ab omnibus speranda *i*).

a) b. Doederlein institt. theol. Christ. §. 16. *Leßs* Wahrheit der christlichen Religion. Ed. 6ta pag. 472 sq.

b) Cicero de divinat. lib. II. c. 3. Kant Anthropolgie pag. 98 sq.

c) Theolog. bibl. tom. II. p. 1 - 240. Dubia sunt loca Matth. XII, 40. XVII, 22. XX, 19. Luc. XIII, 32. Ibid. p. 377 sq.

d) Eichhorn Biblioth. der biblischen Literatur part. IV. p. 191 sq. Über die Prophetensagen aus dem Hause Israel.

e) Euentum etiamnum exspectandum esse, si diuini fuerint Ebraeorum vates, in Christo-
cratia proxime condenda, vt hanc oblectio-

nem effugeret, statuit b. *Michaelis* observ. philog. et crit. in Ieremiam p. 188.

f) *Theol. bibl.* tom. II. p. 129 sq. 211 sq. *Eichhorn* Bibl. der bibl. Literatur t. V. p. 973 sq. Conf. ante omnia oracula Sibyllina, quae Christiana vocantur a *Lactantio* in it. I. IV. c. 15 sq.

g) V. c. Ps. XVI, XXII. Ies. LIII, et alia oracula Messiana, quibus Vespasianum portendi, Iosepho persuasum fuit (*Ant. Iud.* VI, 5, 4). Viguit hoc interpretandi genus adhuc tempore Cyrilli Hierosolymitani, qui et ipse fata sua a prophetis praesignificata fuisse credidit: *Sozomen.* Hist. ecclest. lib. IV. c. 5.

h) Fatente ipso *Lessio*: praktische Dogmatik. Ed. 2. pag. 391.

i) Inprimis post indicium parum honorificum, quod Iesus tulit de vatibus Hebraeorum Matth. XI, 11. Luc. VII, 28. Conf. tamen librum *Seileri*: Die Weissagung und ihre Erfüllung aus der heil. Schrift dargestellt. Erlangen 1794.

§. 14.

De miraculis: doctrina biblica.

Praeter vaticinia prouocauerunt auctores sacri adhuc ad *miracula*, seu facta, quae admirationem excitauerunt spectatoribus. Hebraeis nimirum idem est נִסִּים, מוֹפֵת, אֵימָה, כִּסְלָא, quod Graecis est θαῦμα, θαυμασίον, σημεῖον, τέρας, et a Romanis ostentum, prodigium, portentum, miraculum, mirabile vocatur: qui linguae vsus adeo constans est in libris V. et N. T., vt praestigiatoribus

etiam falsisque prophetis vim, miracula patrandi, tribuant [Exod. VII, 11 sq. Deut. XIII, 2 sq. a) Matth. XII, 27. Matth. XXIV, 24 sq. 2 Thess. II, 9. b)]. Eiusmodi miracula in vniuersum fiunt a Deo, omni aetate et tempore (Iob. V, 9. Psalm. XL, 6. LXXXIX, 6. CXXXIX, 14. Ioel. III, 3. Sirac. XVIII, 2-5. XLIII, 2-31); in specie tamen concedente numine facinora mirabilia patrata esse memorantur a Mose (Ex. III, 20 sq.), Iosua (Ios. III, 15), Simsone (Jud. XV, 19), Elia (1 Reg. XVII, 10 sq.), Iesu et Apostolis (Act. II, 22. 43) hunc in finem, *ut fidem adderent dictis et diuinam sermonum auctoritatem factis confirmarent* (Ioh. V, 20. 36. X, 25. 37 sq.).

a) Quae loca omnia occasionem praebent agendi de miraculis Ethnicorum, in specie de miraculis Vespasiani secundum Tacitum hist. IV, 81. et Suetonium Vespas. c. 7. Confer et Lactantium institut. lib. II, c. 7 sq.

b) Locus memorabilis, qui proprie miracula a doctrina, non doctrinam a miraculis pendere, facile probat.

§. 15.

Doctrina ecclesiastica ad Lutherum vsque.

De veritate horum miraculorum adeo non dubitatum est in ecclesia prima, ut viri potius sancti aevi sequioris, promiss-

sione Iesu Christi freti (Matth. XVII, 20. Ioh. XIV, 12), iisdem et maioribus adhuc factis mirabilibus se pares et idoneos esse putarent, et ad seculum vsque sextum et septimum prodigia sua annalibus referenda traderent a). Egregie itaque docet *Augustinus: Deum in miraculis nihil contra naturam facere; insolita nobis contra naturam esse videri, non Deo, qui naturam fecerit b).* Cui sententiae ipse *Lutherus*, tantum abfuit, vt refrigaretur, vt potius miracula non solum etiamnum fieri posse traderet, sed euentus etiam naturae mirabiles, traditionum prodigiis minoribus longe praeferenda esse ingenue doceret c).

- a) Conferatur *Irenaeus* adv. haeres. lib. III. c. 57. qui vera miracula vindicat ecclesiae catholicae: *Eusebius* hist. eccles. lib. V. c. 7. et relatio eius de morte Polycarpi: *Augustinus* de civitate Dei lib. XXII. c. 8. quo loco plura testatur de miraculis, quibus interfuit: *Gregorius* M. dialogor. lib. II. c. 5-51. ubi de miraculis agit patrum Italicorum. In ecclesia orientali obuiam quidem itum est a nonnullis procliuatati isti ad prodigia, praesertim a *Chrysostomo* est *Theophylacto* (vid. *Suiceri* thes. v. *συμμετρων*); in ecclesia autem occidentali iam inde a seculis primis tantas egit radices, vt vel nostris temporibus nondum extincta sit. Nouimus exstitisse nonnullos, qui fidem horum miraculorum infringere tentarent ar-

gumentis haud spernendis; at enimvero verendum est simul, ne iisdem conatibus miraculorum biblicorum auctoritas labefiat. Conf. *Leſs Wahrheit der chriſtlichen Religion*. Göttingen 1786. p. 765 ſq.

b) Opp. edit. Basil, 1569. tom. III. p. 1065. ſentent. excerpti, 283.

c) Opp. ed. Walch, tom. II. p. 1825. XI, 1271 ſq. Praeiuera *Augustinus* enarrat. in Psalm. CX. "*Memoriam fecit mirabilium suorum, reservans opportune inusitata prodigia, cum sint eius miracula quotidiana maiora. Tot per uniuersam terram arbores creat, et nemo miratur.*" Opp. ed. Basil. 1569. tom. VIII. p. 1290.

§. 16.

Ad nostra vsque tempora.

Rediere tamen mox theologi, quamvis nulla auctoritate librorum symboli-
corum suffulti, ad subtilitatem *Thomae Aquinatis* scholasticam, qui miracula primum diuinitus praeter ordinem communiter in rebus seruatum fieri docuerat a). Placuit itaque decernere, miracula esse euentus ab ordine naturae recedentes adeoque ab ipsa numinis potentia repetendos; euentus naturales e causa supernaturali; euentus, quibus explicandis nulla causa naturalis suffecerit b). Declarauisse deum, eos ipsos, quorum interuentu miracula facta sunt, esse viros sanctos a se institutos (Actor. II, 22), adeoque miraculis

primum et palmarium argumentum veritatis doctrinae Christianae inesse c).

- a) *Summa theol.* lib. I. quaest. 105. art. 5 sq.
- b) *Finitiones Quenstedtii, Hollazii, Dannhaueri, Süßkindii* (*Flatt. Magazin für christliche Dogmatik und Moral.* p. III. pag. 60 sq.) Neque defuere e philosophiae Leibnitianae, Wolfianae et Kantianae adseclis, qui huius sententiae calculum adicerent. Confer. *Tieftrunk Censur des protestantischen Lehrbegriffs.* Berolini 1789. tom. I. p. 217 sq.
- c) Vide longum apologetarum Christianae religionis indicem a Iustino M. ad Kleukerum vsque, in *Stäudlini Dogmatik und Dogmengeschichte*, Göttingen 1800. tom. I. p. 319 sq. deinde b. *Lessium* in libro: *Wahrheit der christlichen Religion* §. 12.

§. 17.

Observationes criticae.

Struxerunt autem mox *theologi*, qui contra hanc sententiam monerent, deum mundum a se vero eoque maximo miraculo conditum vna eaque immutabili voluntate gubernare, adeoque propter summam sapientiam leges naturae irrenocabiles migrare non posse a). Secuti sunt *philosophi*, qui enentum supranaturalem ab homine villo experientia cognosci posse negantes, aeternum etiam ordinem rerum moralem eiusmodi miraculis haud sine superstitione turbari ingenue do-

cuerunt b). Accesserunt scriptores *historici et critici*, qui, tum testium fidem in omnibus fere miraculis desiderari, tum facta naturae contraria (Matth. XVI, 1 sq.) in libris sacris haud memorari, identidem monuerunt c). *Verum itaque quum propter se et argumenta sua verum sit et de eo prius constare debeat, quam de miraculo iudicari plene ac tuto possit d)*; subsistimus omnino in notione biblica miraculorum (§. 14), ceu *euentuum coaeuos ad admirationem prouocantium*, eoque non tam ad argumenta, quam subsidia cognoscendae veritatis, populo inprimis adcommodata, referimus e).

a) Confer post *Ierusalem*, *Doederleinii*, *Mori*, *Henkii*, *Eckermanni* (Handbuch I, 439 sq.) observationes libellum nostrum: *theologische Abhandlungen* 2tes Stück p. 157 sq. Gött. 1799.

b) *Rousseau* lettres ecrites de la montagne. Op. edit. Bipont. tom. XII. ep. 3. *Heyne* opusc. academ. tom. III. pag. 207 sq. *Kant* Religion innerhalb der Gränzen der Vernunft. p. 110 sq. *Iakob* vermischte philosophische Abhandlungen. Halle 1797. p. 132 sq.

c) Vid. *theologia nostra biblica* tom. II. ed. 2. pag. 342 sq.

d) Verba b. *Mori* in epitome theol. christ. proleg. Sect. IV. §. 21.

e) *Herderi* christliche Schriften part. II. p. 259 sq. theolog. Abhandlungen p. 204 sq.

§. 18.

Conuenientia cum sana ratione.

Aliud, idque summum veritatis argumentum est *conuenientia doctrinae cum natura hominis rationali*, ad quam auctores sacri saepius pronocare non dubitant. Legimus enim, Moſen atque prophetas doctrinam suam adpellare *legem animis hominum inſcriptam* (Deut. XXX, 11 – 14. Ierem. XXXI, 33 sq.); Ieſum veri periculum in *cognitione quaerere factis exprimenda* (Ioh. VII, 17. Coll. III, 21. Matth. XI, 29); Paulum et reliquos apostolos non ſolum ad *diligentem veri explorationem* excitare lectores (Rom. XII, 2. Ephes. V, 10. Phil. I, 10. 1 Thess. V, 21. 1 Ioh. IV, 1), ſed *formulam etiam praecire egregiam*, ad quam libri pro diuinis habiti, ceu ad lapidem Lydium exigi debeant (2 Timoth. III, 15 sq.) Mirari itaque non ſubit, apologetas religionis Chriſtianae antiquiores a) et recentiores b), quibus nimirum ſapere contigit, huic argumento principi inſistere; neque enim ad arcem veri vnquam penetrauerunt, qui vim eius obiectionibus vanis adtenuare conati ſunt.

a) Iuſtinus M. apologia ſecunda (ed. Thirlb p. 124. 132.) teſtatur diſerte: *Ieſum ex parte iam a Socrate, Platoniceis et Stoicis cognitum eſſe, quia omnibus inſuit ratio* (λόγος γὰρ ἦν καὶ

ἔστιν δ' ἐν παντὶ ἄν). Apud *Clementem Alexandrinum* verba occurrunt aurea; ἄλλως τις περὶ ἀληθείας λέγει, ἄλλως ἢ ἀληθεῖα αὐτὴν ἐρμηνεύει (stromat. lib. I. pag. 288. edit. Colon. 1688. Egregie *Lactantius* (insit. diu. lib. IV. c. 3): *vbi sapientia cum religione inseparabili nexu cohaeret, utrumque verum esse necesse est.* Conf. totum locum.

- b) *Leibnitius* de conformitate fidei cum ratione opp. ed. Dutens tom. I. p. 60 sq. *Rousseau* Emile. tom. IX. opp. p. 13 sq. *Less* Wahrheit der christlichen Religion p. 117 sq. *Döderlein* christlicher Religionsunterricht part. I. p. 134 sq. *Ziegler* Erörterung, daß der Beweis für die Wahrheit und Göttlichkeit der christlichen Religion mehr aus der inneren Vortreflichkeit der Lehre, als aus Wundern und Weissagungen zu führen ist: in *Henke's* Magazin für Exegese tom. I. p. 20 sq. *Eckermann* Handbuch I, 673 sq.

§. 19.

De canone V. T.

Propter tot et talia argumenta libris sacris accreuit temporis successu auctoritas publica quaedam, quam et *canonicam* vocant. Canon videlicet adpellatur *catalogus librorum, qui auctoritate publica in ecclesia cum Iudaica, tum Christiana sensim pro sacris et diuinis habiti sunt.* Collecti sunt nimirum libri V. T., vt ab iis ordiamur, primum *singuli*; *pen-tateuchus*, olim breuitate sua insignis

(Deut. XXXI, 24 sq. Ios. VIII, 30 - 35. 2 Reg. XXII, 8 sq.), iam ante exilii Babylonici tempora ita amplificatus erat, qualis nunc exstat; Psalmi, nouo carminum numero aucti (Psalm. LXXII, 20), prophetarum maxima pars, et libri regum a Nehemia additi sunt (2 Maccab. II, 15); reliqua pars oraculorum cum annalibus Hebraeorum variis cura Iudae Maccabaei demum corpus fieri coeperunt (ibid. v. 14). Ab hisce libris, temporum iniuriae sorte felici ereptis, pependisse ecclesiam Iudaicam testantur libri apocryphi (*Sirac.* prol. v. 2. cap. XLV sq.), *N. T.* (*Luc.* XXIV, 44), *Iosephus a)*, *Philo b)*, *Melito c)*, *Origenes d)*, *Athanasius e)*, *Hieronymus f)*, suffragiis licet variis et iam a Sadducaeis et Essenis multiplici ratione turbatis g). Accessere apud Christianos concilii Laodiceni (a. 364) h), Carthaginensis (a. 397) et Tridentini (a. 1545) decreta, quae tamen et ipsa inter se dissentiunt nouisque disquisitionibus viam sternunt i).

a) Contra Apion. lib. I. c. 8. collato loco de B. Iud. lib. VII. c. V. §. 5. de lege Dei a Vespasiano in triumpho portata.

b) De vita Mos. pag. 654 sq. ed. Mangey coll. *Eichhornii* biblioth. bibl. tom. IV. p. 785 sq. de apocryphis et diuersitate canonis Palaestinensis et Alexandrini.

- c) Apud Euseb. H. E. lib. IV. c. 26.
- d) Ibid. lib. VI. c. 25. Omittit prophetas minores et addit librum Esrae secundum cum epistola Ieremiae.
- e) Synopsi scripturae sacrae opp. ed. Colon. 1686. tom. II. p. 56 sq. Vide, quae ibi monentur de apocryphis.
- f) Prologo galeato: epist. 2. ad Paulin. Conf. *Augustinus* de doctrina Christiana. lib. II. c. 8.
- g) Confer Ioseph. B. I. lib. II. c. 8. §. 3 sq. et librum meum: *religiöse Moral.* Gött. 1800. §. 71. not.
- h) *Spittler* kritische Untersuchung des sechzigsten Laodiceischen Canons. Bremen 1777. p. 10 sq.
- i) Desunt nimirum leges, quibus v. c. Corani libri circumscripti sunt: vid. *Elmacin.* histor. Saracen. ed. *Erpen.* mai. lib. I. p. 18. Aliter Sadducei, Esseni, Alexandrini, Pharisei; aliter Melito, Origenes, Athanasius, utriusque concilii patres sentiebant de canone V. T. Quis nunc conabitur, argumentis mere historicis ductus, tantam componere litem? Conf. *Pauli* nouum Repertor. part. III, 180 sq. *Henke* Magazin für Exegese. tom. II, 455 sq. IV, 1 sq. *Eckermanni* Handbuch I, 633 sq.

§. 20.

De canone N. T.

In ecclesia primaeva, cui persuasum erat de reditu Messiae proxime expectando (1 Cor. XV, 51. 2 Cor. V, 3 sq.), fides Christianorum magis doctorum, quam scriptorum auctoritatem secuta est.

Illatae tamen sunt in ecclesias, praeunte forte exemplo Aramaeo a), vitae I. C. plures b), quarum numerus, seculo secundo demum, ad *quaternionem euangeliorum* restrictus est c). Paulo post *epistolae* etiam, quae circumferebantur, *apostolicae*, cum Actibus, qui accessere, corpus fieri coeperunt, non tamen pari auctoritate vel consensu d). Seculo tertio utraque collectio iam in vnum volumen coierat, testibus *Origene* e), *Eusebio* f), *Athanasio* g), *Augustino* h), conciliis *Laodicensi* et *Carthaginensi*, consuetudine tamen magis, quam vniuerso ecclesiarum suffragio coniuncta i). Quae omnia si iusta lance ponderantur, probabilem reddunt sententiam, ex historia canonis non internam, sed externam librorum sacrorum auctoritatem deriuari et firmari posse k).

- a) *Eichhorn* Bibliothek der biblischen Literatur. tom. V. p. 761 sq.
- b) *Iustin* M. apol. II. c. 98. *Fabricii* cod. apocr. N. T. p. 2 sq. *Henke* Magazin für Exegese t. IV. pag. 576 sq.
- c) *Irenaeus* adv. haeres. lib. III. c. 11. *Tertullian.* aduers. Marcionem lib. IV. c. 4 sq.
- d) Cum propter finem epistolarum *επιστολῶν*, tum propter epistolas suppositas (2 Thess. II, 2. III, 17). Actus apostolicos multis ecclesiis vel suo aeuo ignotos fuisse, conqueritur *Chrysostomus* (homil. LV. in act.)

- e) Apud *Euseb.* H. E. lib. VI. c. 25. loco dignissimo, qui curatius explicetur.
- f) H. E. III, 25. coll. c. 16. quo *Clementis* etiam Romani epistolam *μεγάλην καὶ θαυμασίαν καὶ δημολογουμένην* adpellat. Videat. *Henkii Magazin* tom. V. p. 451 sq.
- g) Synopsi scr. sacrae l. c. p. 59 sq.
- h) De doctrina Christiana lib. II. c. 8.
- i) *Augustinus* se monet (l. c.) "epistolas apostolorum, quas *plures et grauiiores* ecclesiae accipiunt, praeponendas esse iis, quas *paucioris et minoris auctoritatis* ecclesiae tenent."
- k) *Semler* von freier Untersuchung des Kanon. Halle 1771 sq. (*Corrodi*) Versuch einer Geschichte des jüdischen und christlichen Bibelmanons. Halle 1792. *Haenlein* Einleitung in die Schriften des N. T. ed. 2. tom. I. p. 305 sq. Erlangen 1801. *Eckermann* theologische Beiträge. B. 5. St. 2. p. 140 sq.

§. 21.

Auctoritas librorum sacrorum.

Haec autem, quam *normatiuam* adpellant, auctoritas reuera vindicata est scripturae sacrae V. et N. T., hac nimirum ratione, vt rite explicita, patrum, conciliorum, traditionum, episcopi qualiscunque et fanaticorum, quam iactant, auctoritatem longe superet, adeoque *unicam et certissimam doctrinae regulam* (2 Timoth. I, 13) religionis Christianae ministris exhibeat a). Nititur sententia

ista origine horum librorum divina, principiorum veritate (Act. IV, 12. 1 Cor. III, 11), doctrinae sufficientia (Act. XX, 27. 1 Ioh II, 20) et perspicuitate (Psalm. CXIX, 105. Ies. VIII, 20). Subscribi autem potest, quidquid etiam obiciant aduersarii b), vel nostris temporibus huic iudicio, dummodo in explicandis libris sacris non tam divinae *originis*, quae ubique demonstrari nequit, quam diuini eorum *argumenti* ratio habeatur (2 Tim. III, 16), cuius natura et indoles ex summis praeceptis euangelii et sanae rationis (§. 18.) facile inuestigari et ab inanibus hominum commentis separari potest c).

a) Libri symbol. solida declar. I. p. 632. ed. Rechenberg. Conf. Doederlein instit. §. 47. obs. 2.

b) "Quod si semel peruicerit, ut scripturis conuincendus sit, quicumque ecclesiae sensus et conciliis contradicit, nihil habebimus in Christianitate certum vel determinatum." Verba Eckii contra Lutherum coram Caesare in comitiis Vormatiensibus 1521.

c) Eichhorn Vorschläge zur Hermeneutik in der Bibliothek der biblischen Literatur B. IV. p. 330 sq. Meyer Hermeneutik des A. T. Lübeck 1800. Michaelis Dogmatik §. 3 sq.

PARTICVLA TERTIA.

DE

THEOLOGIAE NATVRA ET INDOLE.

§. 22.

De cognitione Dei.

Theologiam, quae doctrina est de Deo (§. 2), *cognitionem* numinis continere et cum aliis communicare, in libris sacris aperte docetur (Ioh. XVII, 3. Rom. I, 19 sq.), et e patribus ab *Augustino* imprimis declaratum est a). *Ioannes Damascenus* contra adseruit cum *Alexandrinis*, *Deum non solum omnem substantiam, sed cognitionem etiam superare* b), ab *Alberto M.* c) tamen et *Thoma Aquinate* d) iam idoneis argumentis refutatus. Rediit postea eadem sententia in philosophia *Kantii*, qui Deum cogitari quidem et credi, sed non cognosci posse docuit e). At enimvero cognitio, quae *nexus est notionum, unitate cogitandi rationali coniunctarum*, non solum in physicis, sed in metaphysicis etiam, cum maxime in theologia locum habet f).

a) *De cognitione verae vitae* c. VII et VIII. *Quaestiones veteris et noui testamenti* p. I. De trinitate lib. VIII. c. 4. *Quid est, Deum scire, nisi eum mente conspiceret, firmeque perspicere.*

- b) *De orthodoxa fide* lib. I. c. 4.
- c) *Summa theol.* tract. III. quaest. 13. Conf. *Tiedemanni Geist der speculativen Philosophie* tom. IV. p. 417 sq.
- d) *Buhle Geschichte der neueren Philosophie*, Göttingen 1800. tom. I. p. 862 sq.
- e) *Critik der praktischen Vernunft* p. 255.
- f) *Kant Kritik der reinen Vernunft* p. 864.

§. 23.

Natura huius cognitionis.

Patet tamen ex essentia huius cognitionis istam neque intuitivam (Ioh. I, 18), neque supranaturalem, sed vnicè rationalem esse, eamque vel puram (idealem), vel mixtam (physicam, teleologicam) a). Prima analytica est, altera synthetica, eaque symbolica vel analogica; neque enim deum ipsum, sed necessariam tantum dei notionem tenere et amplecti potest hominis cognitio libera. Pertinet itaque non ad scientiam (Wissen), sed ad fidem, quae certa est persuasio de rei invisibilis existentia (Hebr. XI, 1), firmis argumentis declaranda, adeoque summam evidentiam et certitudinem admittere debet b).

a) *Tieftrunk Censur des protestantischen Lehrbegriffs* part. III. Berlin 1795. praef. p. XLIII sq.

Jakob über den moralischen Beweis für Gottes Daseyn p. 160 sq.

- b) *Kantii Critik der reinen Vernunft* p. 848 sq.
Krug von der Überzeugung nach ihren ver-
 schiedenen Arten und Graden. Iena 1797.

§. 24.

De articulis fidei.

Haec autem fidei doctrina seriem con-
 tinet sententiarum, quas *articulos* vocant,
 imagine a corporis compage ducta, eos-
 que diuidunt in *puros* et *mixtos*, ratione
fontis, qui vel scriptura sacra est, vel
 ratio simul; in *fundamentales* (essentia-
 les) et *non fundamentales*, ratione *argu-*
menti, quod a principio sine arte disci-
 plinae (*salutis*, vt loqui amant theologi)
 vel propius abest, vel longius. De nu-
 mero autem et *summa* horum articulo-
 rum fundamentalium (1 Cor. III, 11) ve-
 hementer disputatum est. Quamuis enim
 secundum libros sacros res sit satis ex-
 pedita (Deut. VI, 4. Matth. XXVIII, 19.
 Ioh. XVII, 5) a); post multas tamen con-
 trouersias religionis, haud raro inanes,
 doctrinae pro fundamentalibus habitae
 adeo sunt cumulatae, vt vel nostris tem-
 poribus dubitatum sit, vtrum omnia
 theologiae Christianae capita ad vnā
 sententiam primariam reuocari queant,
 nec ne? b)

- a) Conf. R. Maimon שלש עשרה עקרין, vel de
 tredecim articulis fundamentalibus ecclesiae Iu-
 daicae: *Bodenschaz kirchliche Verfassung der*

Inden tom. III. p. 4 sq. Neque negligendus est Islamismi articulus fundamentalis.

b) Schmid über christliche Religion als Volkstheorie und Wissenschaft, Iena 1797. p. 127 sq.

§. 125.

De summo principio theologiae.

Videlicet *Lutherus* et libri symbolici arcem fidei quaesinere in doctrina de iustificatione a); *Semlerus* articulum fidei summum in formula baptismi et symbolo apostolico reperire sibi visus est b); *Doederlinus* novem, quid quod sedecim decreta theologiae disciplinae ceu fundamenta subiecit c); alii ad inspirationem scripturae sacrae, ceu unicum theologiae Christianae principium pronocauerunt. Ex nostra sententia theologia rationalis omnis nititur propositione synthetica: DEVS EST: theologia Christiana decreto: *Deus, auctor et gubernator mundi, humanae etiam felicitatis auctor et largitor est per Iesum Christum* (Ioh. XVII, 3) d). Patet autem, a summo theologiae principio religionis (§. 2.) Christianae articulum fundamentalem (Matth. XXII, 37 sq. 2 Tim. II, 19.) caute separari debere e).

a) *Apolog. conf. art. II. de iustificatione, fin. Form. concord.* p. 683. ed. Rechenberg.

b) *Institut. ad doctrinam Christianam liberaliter discendam* §. 79.

- c) Institut. theol. Christ. §. 23. Christlicher Religionsunterricht part. I. p. 443 sq.
 d) Henkii lineamenta §. XXII. Eckermanni Handbuch für das systematische Studium der christlichen Glaubenslehre. tom. I. p. 713 sq.
 e) Tieftrunk Censur des protest. Lehrbegriffs. tom. I. cont. I. p. 112 sq.

§. 26.

De regula fidei.

Quaeritur autem, quomodo ex hoc theologiae Christianae principio summo dogmata reliqua derivari possint sine iniuria scripturae sacrae, de singulis doctrinis *diuersas* omnino pronuntiantis *sententias* (v. c. de natura Christi: de spiritu sancto: de remissione peccatorum: de diabolo)? Nouimus, *Tertullianum* prouocauisse ad *regulam fidei*, seu doctrinas apostolicas scriptura superiores et grauiiores a); *Irenaeum* ad *regulam veritatis* etiamnum in symbolo apostolico obuiam b); *Origenem* ad *sensum* scripturae *spiritualem* grammatico vel literali longe praeferendum c); *Augustinum* ad *regulam pietatis*, iniusta et indigna quaeuis a Deo remouentem d); *libros symbolicos* ad symbola tria catholica e); *theologos sequiores* ad analogiam fidei (Rom. XII, 6), vel consensum doctrinae cum articulis fundamentalibus f); *Kantium* ad legem moralem ceu summum religionis inter-

pretem et iudicem g). Quibus omnibus merito obiiicitur, certam fidei apostolicae regulam extra libros sacros non exstare; explicationem scripturae spiritua-lem et moralem allegoriis et hallucina-tionibus ansam praebere; certamque fidei analogiam vnice e summo theolo-giae principio (§. 25.) pendere. Quare, vbi dissenserint libri sacri, explicandi erunt primum grammatice, deinde com-ponendi ex notionibus euangelii vniver-salibus (Ioh. IV, 25 sq.), quae et ipsae cum notione Dei rationali (§. 18.) con-veniunt h).

a) Apologeticus adv. gentes c. XLVII. de virgi-nibus velandis lib. I. c. 1. de praescriptione adv. haeret. cap. XII sq. qui locus princeps est.

b) Aduersus haereses lib. I. c. 2. Conf. Lessings theologischen Nachlafs. Berlin 1784. p. 126 sq.

c) *Περὶ ἀρχῶν* lib. IV. c. 1 et 2.

d) De praedestinatione et gratia cap. 1.

e) Form. concord. p. 632.

f) Conferatur instar omnium Heilmanni compen-dium theologiae dogmaticae §. 7.

g) Die Religion innerhalb der Gränzen der bloßen Vernunft p. 149 sq.

h) Eichhorn Bibliothek der biblischen Literatur. B. IV. p. 330 sq. Seiler biblische Hermeneutik. Erlangen 1800. praef. p. xxiii.

§. 27.

De mysteriis.

Superantur autem notiones istae a my-steriis, quae in literis sacris cum doctrinas

antea incognitas (Matth. XIII, 11. Luc. VIII, 10. 1 Cor. II, 7. Coloss. I, 26. IV, 3), tum in vniuersum occultas (1 Cor. XV, 51. Ephes. V, 32. 1 Tim. III, 16.) designant. Auctus est mox in ecclesia mysteriorum numerus sacramentis, disciplina arcani, dogmatibus de trinitate, incarnatione, resurrectione corporis, aliisque a), quae temporis successu in tantam coiungere nubem, vt vel ipsam euangelii lucem spissa caligine circumfundere viderentur. Hanc dum excutimus feliciter, monemur simul, mysteria, siue *doctrinas rationis limites excedentes* in cognitione humana vbique deprehendi, cum maxime in theologia; curandum esse tamen, vt disciplinae et rationis non impedimenta sint et sufflaminata, sed calx et termini; et vt inter genuina fidei mysteria non nisi ea referantur, quae cum veritatibus salutaribus arcte cohaerent, et non ab arbitrio doctorum, sed a vera rationis humanae imbecillitate originem ducunt.

a) Suiceri thesaurus ecclesiasticus v. *μυστήριον*. Doederlein christlicher Religionsunterricht t. III. p. 30 sq. Lange Apologie der Offenbarung, Iena 1794. p. 203 sq. Reinhold Beiträge zur Berichtigung der Mißverständnisse unter den Philosophen. tom. II. p. 363 sq. Adde locum Kantii de noumenis analogice huc spectantem; Kritik der reinen Vernunft p. 310-312.

P A R S P R I M A.
D E
D E O I N V N I V E R S V M.

PARS PRIMA.
DE
DEO IN VNIVERSVM.

SECTIO I.
DE
NVMINIS NATVRA ET EXISTENTIA.

§. 28.

Notio Dei spiritualis.

Notio absoluti nuda, quae ad essentiam rationis humanae pertinet, continet etiam notionem Dei, vel intelligentiae supremæ a), quam propterea insitam homini adpellauere theologi b). Adstipulantur libri sacri, qui spiritum vocant numen (Ioh. IV, 23 sq.), notione ante Christum satis corporea (Gen. I, 2. II, 7. Exod. XXXIII, 19 sq. Psalm. CIV, 29. 1 Reg. XIX, 12) c), et post illum anthropomorphitarum somniis iterum cor-

rupta d). Hic autem numinis conceptus nudus, dum contemplanda rerum natura animatur, notionem gignit *intelligentiae supremae et perfectissimae*, in cuius cogitatione intellectus humanus libenter adquiescit, et propter naturae suae limites omnino adquiescere debet e).

a) *Kant* Kritik der reinen Vernunft p. 595 sq. von dem Ideale der reinen Vernunft.

b) *Iamblichus* de mysteriis Aegyptiorum Sect. I. cap. 3. qui princeps est locus de Θεογονίᾳ insita. *Calou*. system. tom. II. pag. 27 sq. *Fenelon* démonstration de l'existence de Dieu. Amsterdam 1729. tom. I. p. 2 sq. *Buddei* theses de Atheismo p. 361 sq.

c) *Morus* opusc. theolog. I, 328 sq. *Reinhold* Geschichte des Begriffes Geist in den Briefen über die Kantische Philosophie. p. I. pag. 270 sq. m. biblische Theologie. Th. I. p. 37 sq.

d) *Conf. Tertullianum* de carne Christi c. XI, *Cyrril* Hierosolymit. catech. VI. *Epiphani*. haeres. LXX. de Audio, antropomorphitarum strenuo propugnatore: *Lactantium* institut. lib. IV. c. 30. *Socratem* H. E. VI, 7. *Sozomenum* VII, 11, 12. Neque silentio praetereundus est b. *Döderlein* im christlichen Religionsunterricht tom. IV. p. 215 sq.

e) Vid. locus egregius in *Kantii* Kritik der reinen Vernunft p. 641 sq.

§. 29.

De existentia Dei. Argumentum ontologicum.

Nuda tamen cogitatio numinis ad fidem nondum sufficit; necesse est, vt vera sit Dei notio, hoc est, vt existentia numinis notioni respondeat (Hebr. XI, 6). Haec autem veritas, cum infinita sit, non quidem demonstrari geometricè a), argumentis tamen multis probari potest b), quæ, secundum intellectus humani varietatem, diuersa etiam persuadendi potestate instructa sunt. Reuocata vero ad ordinem disciplinae antesignanum habent *argumentum ontologicum*, Anselmo c) debitum et a Cartesio d) exornatum, quo summam perfectionem et necessitatem, quæ notioni numinis inest, existentiam eius etiam inuoluere sumitur. Patet facile, ratiocinatione ista existentiam idealem et realem misceri e); at enimvero, quum idea infiniti (§. 28), qua Deum concipimus, intellectui canonem præbeat in indicandis veris et falsis f); falsum autem ex mero phantasmate iudicari et corrigi non queat; colligitur etiam merito, notioni absoluti, quæ in mente humana deprehenditur, respondere veritatem æternam in intellectu numinis archetypo. Hac saltem argumentatione post Platonem atque Stoicos iam Augustinus aliique vsi sunt g).

- a) *Kant* Critik der reinen Vernunft p. 611. 755. 762 sq. Conferendus tamen omnino: *Krug* über das Verhältniß der kritischen Philosophie, zur moral. polit. und religiösen Cultur des Menschen. Iena 1798. pag. 190 sq.
- b) *Less* über die Religion, ihre Geschichte, Wahl und Bestätigung. Gött. 1786. p. 97 sq.
- c) *Proslog.* c. 2 sq. *Tiedemann* Geist der speculativen Philosophie t. IV. p. 256 sq. *Ziegler* Beitrag zur Geschichte des Glaubens an Gottes Daseyn. Göttingen 1792. p. 23 sq. *Buhle* Lehrbuch der Geschichte der Philosophie p. V. pag. 157 sq. *Cudworthii* Systema intell. ed. Mosheim 2da tom. II. p. 190 sq.
- d) *Meditat. de prima philosophia med.* 3 et 4. Hic enim liber ipse inspiciendus est: caue, e rivulis haurias, ex hoc fonte derivatis.
- e) *Kant* l. exc. p. 620 sq. (*Koenig*) Abhandlung über die Unmöglichkeit eines Beweises vom Daseyn Gottes aus bloßer Vernunft. Norimberg. 1791. p. 96 sq.
- f) *Kant* l. c. p. 597 sq. *Buddei* theses de atheismo p. 369 sq.
- g) *Augustin.* de libero arbitrio lib. II. c. 15. *Mendelsohn* Morgenstunden Berolin. 1786. *Plato* in Philebo edit. Bipont. tom. IV. p. 219 sq. *Buhle* Lehrbuch der Geschichte der Philosophie. tom. II. p. 87 sq.

§. 30.

Argumentum dynamico-cosmologicum.

Aliud existentiae diuinæ argumentum
est id, quod a contingentia et mutabilitate

mundi, cum in vniversum, tum quod ad singulas partes, duxit *Ioannes Damascenus a)*, et quo causam vniuersi necessariam et immutabilem portendi haud sine ratione statuit (1 Cor. IV. 18). Neque enim longe abest a ratiocinatione *Aristotelis b)*, qua vires mundi animantes et vniversum agitantes, non a semet ipsis excitari posse, sed motorem primum eumque infinitum arguere (conf. Act. XVII, 28. Hebr. I, 3), suffragante adhuc *Leibnitio c)*, docuerat. Legimus quidem, in eo fuisse *Kantium*, vt neruum prioris argumenti incideret iudicio, quo causalitatis legem mundi visibilis limitibus circumscribere conatur *d)*; hoc autem si verum est in explicandis singulis mundi vicissitudinibus, ratione caret tamen in deriuanda totius mundi existentia *e)*. Series enim causarum naturalium sine initio et fine flumini similis est sine fonte et ostio, et rationem demergit, quam regere et gubernare debet.

a) De orthodoxa fide lib. I. c. 3. ἀποδείξις ὅτι θεός ἐστι.

b) Confer. *Φύσιν ἀνθρώπου* lib. VII. c. 10. et liber de mundo, qui Aristoteli tribuitur, c. 2. *Vater theologiae Aristoteleae vindiciae* Lips. 1795. p. 27 sq. (Mirabaud) système de la nature tom. I. ch. 2. du mouvement et de son origine.

c) Opp. theolog. edit. Dutens Genév. 1768. tom. I. p. 5 sq. Corpus, quod mobilitatem habet, non motum, figura determinata prodit motorem primum, eumque vnicum et sapientem.

d) Kritik der reinen Vernunft pag. 202 sq. 637 sq. conf. eiusdem philosophi *metaphysische Anfangsgründe der Rechtslehre* pag. 112. not.

e) Man unterscheide den *Erfahrungsgebrauch* des Causalitätsgesetzes von seinem *Vernunftgebrauche*. Conf. *Ierusalem Betrachtungen* p. I. Betr. 2.

§. 31.

Argumentum physico-theologicum.

Magis adhuc mouentur animi argumento *teleologico*, quod ex contemplanda *rerum natura, sapienter instructa et summo consilio inter se connexa* deriuatur. Libri sacri mentionem eius faciunt frequentissimam (Psalm. VIII. XIX. CIV. Iob. XXXVII–XLI. Ies. XL. Matth. VI, 25 sq. Act. XIV, 15 sq. XVII, 24 sq. Rom. I, 19 sq.); reliqui autem scriptores, cum veteres, tum recentiores, in exornando eo multis modis operam suam collocauerunt a). Neque hoc iniuria. Quamuis enim concedendum sit, ratiocinatione ista, Deum formatorem quidem, non autem creatorem mundi, multo minus moralium eius attributorum omnium cognitionem inueniri et

illustrari posse *b*); pascunt tamen mentem humanam varia et multiplici sapientiae diuinae contemplatione, eaque profundioribus de numine meditationibus viam sternunt.

a) Confer. *Xenophon* Memorab. Socrat. lib. I. c. 4. lib. IV. c. 3. *Cicero* de natura Deorum lib. II. c. 38 sq. Adde *Cleanthis*, *Senecae*, *Antonini*, aliorumque loca apud *Pfannerum* system theolog. gentil. cap. II. §. 6 sq. De aliis theologiae naturalis scriptoribus infra sermo erit in loco de prouidentia.

b) *Kant* Kritik der reinen Vernunft p. 648 sq.

§. 32.

4) *Argumentum morale.*

Argumentum ethicum ita instruxit *Kantius*, vt necessitatem legis moralis absolutam, qua officio, posthabita felicitatis cupiditate, satisfieri debere iubet, fidem gignere in Deum, iustum virtutis remuneratorem, doceret *a*). *Augustinus* contra virtutem adpellat progressum animi et voluntatis ad bonum summum et incommutabile, qui locum habere non potest sine Deo, summi boni sede et origine *b*) (*Marc. X.* 17 sq.). Disquirendum est in disciplina morali, an honestas a vera felicitate separari queat *c*); hic obseruare sufficit, officii et virtutis notiones euolui

D

non posse, quin Deum sistant obligationis moralis fontem et terminum (2 Cor. IV, 18. 2 Petr. III, 11. Iacob. I, 17. Rom. II, 14 sq. Psalm. LXXIII, 25 sq.). Mediteris itaque, inuestiges mundi primordia, contempleris rerum naturam, de tuomet ipsius officio cogites; vbique numen optimum praesens habebis et obuium (Act. XVII, 27) d).

- [a) *Kant* Kritik der reinen Vernunft p. 848 sq. der praktischen Vernunft p. 255 sq. Kritik der Urtheilskraft p. 448 sq. *Iakob* über den moralischen Beweis für Gottes Daseyn. Liebau 1791.
- b) De trinitate lib. VIII. c. 3. qui locus princeps est: de genesi ad litteram lib. VIII. c. 14. Ex eadem virtutis notione etiam immortalitatis euentiam deriuari, iam *Lactantius* docuit de vita beata c. IX sq.
- c) *M. religiöse Moral.* Gotting. 1800. § 41 sq.
- d) De aliis argumentis conf. *Buddei* theses de atheismo p. 441 sq. *Malebranche* recherches de la verité lib. II. ch. 4. *Leibnitii* theodicea §. 61 sq. *Fichte* Sittenlehre p. 192 sq. *Gableri* neues theologisches Journal. tom. XIII. 1799. p. 19 sq.

§. 53.

De Atheismo.

In tanta argumentorum copia mireris forte, atheismi labem, multis quidem olim temere adpersam a), a genere hu-

mano tamen nunquam penitus elui potuisse (Psalm. XIV, 1. Ephes. II, 12) *b*). At enimvero haec est fidei natura, vt non obiectiuam, sed subiectiuam certitudinem gignat, nouis semper erroribus redimendam (1 Cor. II, 14); haec est ingenii animique humani indoles, vt sensuum et imaginationis praestigiis, institutione praua, vanitate, philosophandi libidine et excessu facile in transuersum abripi queat *c*). Misericordiam itaque potius, quam iram et indignationem meretur breuis atheorum insipientia, verae theologiae emolumentum haud raro promotura; quamuis aliis, iisque tristissimis, incommodis non careat.

- a*) V. c. Aristoteli et Stoicis (*Meiners historia doctrinae de vero Deo* p. 420 sq. 456 sq.); Socrati (*Platonis apolog.* Socr.) Christianis (*Kortholt paganus obrectator* lib. II. cap. X.) Pomponatio, Cardano, Campanellae, Vaninio, Lyscinskio (m. *Abhandl. über Casimir Lysczyński* Gött. 1802), Spinozae, Berkleio aliisque. Exinde fluxit sine dubio mitis eorum sententia, qui atheos dogmaticos exstitisse vnquam, plane negarent. Conf. *Tournemine réflexions sur l'athéisme*, in additamentis ad Fénélonii librum supra excitatum §. 28.
- b*) Diserte a Leucippo (*Cicero de nat. D. I.* 24), Diagora Melio (*Lactant. de ira diu.* c. 9), Protagora (*Diogen. Laert.* lib. IX. c. 8), Lucretio (de rerum natur. lib. III.

v. 197 sq.) et recentioribus materialismi fautoribus bene multis. Conf. *Platneri philosoph. Aphorismen* Lips. 1793. t. I. § 922 sq.

- c) *M. religiöse Moral.* Gotting. 1800. p. 221 sq. *Lacroze* dissertation sur l'athéisme: in libro: *Entretiens sur divers sujets d'histoire.* Cologne 1740. p. 250 sq. *Jenkin Thomasii*, *Britanni*, *historia atheismi* Altorf 1713. *Reimanni historia vniuersalis Atheismi.* Hildesiae 1725.

§. 34.

- 1) *Attributa naturae diuinæ. Deus est substantia.*

Probata numinis existentia clarum est etiam, Deo, ceu intelligentiæ supremæ, inesse debere omnia, quæ ad summæ essentiæ nomen pertinent, eaque non separata, sed vinculo arctissimo inter se coniuncta. Quæ, dum pro intellectus humani imbecillitate cogitantur singula, oriuntur *attributa* vel *proprietares*, non *accidentia*, sed *determinationes ad naturam numinis pertinentes*. Disputatum est a theologis de iusta illorum diuisione a); nobis in *attributa naturæ*, *intellectus* et *voluntatis* facillime dispesci posse videntur. Naturam enim vel essentiam dum tribuimus Deo, adserimus neutiquam, illum sustinere *accidentia* b), sed *alienæ determinationis cuiuscunque expertem*, sua-

met ipsius vi existere, agere et mouere omnia c). Hoc enim sensu vel libri sacri substantiam Deo aperte vindicant (Exod. III, 14. Ies. XLI, 4. Apoc. I, 4).

- a) In negativa et positua, ἐνσπῆρα et ἀνέσπῆρα: rel. Conf. *Clarkii* demonstratio existentiae et attributorum Dei, edit. *Jenkin Thomasii*. Altorf 1713.
- b) Hoc sensu οὐσία, quam cum Alexandrinis negauit Deo, sensum accepit *Ioannes Damascenus* de orthod. fide lib. I. c. 4: *Petrus Lombardus* sententiarum libro I. quod *Deus non proprie sed abusive* dicitur *substantia*: *Fichte*, philosoph. Journal. Jenae 1798. part. I. Appellation gegen die Anklage des Atheismus. Ibid. 1799. Conf. ad historiam huius sententiae *Calouius* system. tom. II. p. 196 sq. *Ziegler* Beitrag zur Geschichte des Glaubens an Gottes Daseyn p. 112 sq.
- c) Ἐσῶντα, stantem in aeternum adpellaue- vere philosophi orientales: conf. *Fabricii* codicem apocryphum N. T. pag. 416 sq. *Moshemii* dissertationes ad historiam ecclesiasticam pertinentes vol. II. p. 72 sq. *Praciuerat* sententiam *Aristoteles* physic. lib. VIII. c. 10. (*Platner* Aphorismen I, p. 423 sq. ed. 1793). *Augustinus*: Deus est quaedam substantia: nam quod nulla est substantia, nihil omnino est. Substantia ergo aliquid esse est. In Psalmum LXVIII. ed. Basil. 1569. tom. VIII. p. 722. Conf. eiusdem auctoris de cognitione verae vitae lib. I. c. 3. et de essentia Dei, totus. *Albertus* M. summa tract. IV.

quaest. 20. negari non potest, quin in Deo duo sint praedicamenta, *substantia* et *relatio*. Adstipulantur *Leibniti*us (theodic. §. VII), *Wolfi*us (theolog. natural. §. 1005), *Kanti*us (Critik der reinen Vernunft p. 441. 587. 655 sq. 701 sq. 724. sq.) Mireris itaque, de hac quaestione, dudum composita, nostris diebus tantos fluctus moueri.

§. 35.

Eaque aeterna et immutabilis.

Haec autem substantia Dei primum est *aeterna et immutabilis*, h. e. originis expers, mutationibus temporis adeo non est obnoxia, vt primam potius temporis, eorumque, quae in eo fiunt, contineat causam. Probatur *primum* ex natura intelligentiae purae, quae seclusa omni cogitandi et sentiendi successione, *summam* flagitat *existendi perennitatem* (Ies. XLI, 4); *deinde* ex serie mutationum, quae temporis constituit naturam *a*), causamque arguit immutabilem. *Accedunt* diserta librorum sacrorum testimonia: Gen. XXI, 33. Psalm. XC, 1-4. CLI, 26-28. Ies. XL, 28. XLIV, 6. Ioh. XVII, 5. 24. 1 Timoth. I, 17 *b*).

a) Vide locum egregium de origine temporis aeterna apud *Augustin.* de ciuit. Dei lib. XI. cap. 6. In alia abit *Kant* Critik der reinen Vernunft p. 46 sq. 331 sq.

- b) *M. biblische Theologie* ed. 2. t. I. p. 91 sq.
Eckermann Handbuch tom. II. p. 122 sq.
Doederlein christlicher Religionsunter-
 richt tom. IV. p. 201 sq.

§. 36.

Omnipraesens adeoque spiritualis.

Neque tamen temporis solum, sed spatii etiam limites excedit numinis existentia. *Omnipraesentiam* vocant theologi, quasi existentiam locos omnes replentem (*ἀδιασπασίαν*), sententia a libris sacris haud aliena (1 Reg. VIII, 10 sq. Ierem. XXIII, 24. Ies. LXVI, 1), sed ad pantheismum facile prona a). Melius itaque hac ratione finitur omnipraesentiae notio, ut deum, dum penetrat univ-
 versum vi spirituali (Ioh. IV, 23 sq.), omnia mouentem et indagantem, adeoque numini suo praesentissima habentem menti nostrae sistamus b). Argumenta suppeditat ratio ex aeternitatis diuinae natura (§. 35.) et spatii origine infinita; libri sacri, dum viuum adpellant deum (Gen. XVI, 14. 2 Reg. XIX, 4), vim etiam numinis ubique locorum obuiam (Psalm. CXXXIX, 7-11. Matth. VI, 4-8. Act. XVII, 27 sq.) designant.

- a) Loca scripturae sacrae, quae diuinitatem numine omnia replentem sistunt (Ies. LXVI, 1. Ierem. XXIII, 24. Ephes. I, 23), emanatismi et gnosticismi semina spar-

sisse, qui dubitet, existimo fore neminem. Pantheismi enim vestigia apud omnes fere orientis populos, Persas imprimis, Indos et Iudaeos occurrunt. Sequuntur longo intervallo *Plotinus* (Enn. VI. 2. 3. conf. *Tiedemann* Geist der speculativen Philosophie tom III. p. 428 sq.); *Scholastici*, Deum *ubique locorum esse per essentiam* praedicantes (Petri Lomb. sentent. lib. I); *Spinoza*, praeter Deum nullam esse substantiam, proptereaque *Dei substantiam extensam esse*, identidem affirmans (Ethic. p. I. propos. XIV et XV). Neque mirum; intellectus enim humanus temporis spatique legibus adeo cogitando est adstrictus, ut divinae praesentiae rationem evolvens, pantheismi difficultates, verbis magis, quam re ipsa effagere queat. Vid. *Ierusalem* Predigten Braunschweig 1788. p. 412.

- 3) Quare distinguunt theologi inter omnipraesentiam *substantialem*, quae capi nequit, et *operativam*. Bene iam *Lutherus*: Gottes rechte Hand ist die allmächtige Gewalt Gottes, welche zugleich nirgend seyn kan, und doch an allen Orten ist: Opp. ed. *Walch*. tom. XX. p. 1002. Conf. *Reimarus* Abhandlungen zur natürlichen Religion, Ed. 6ta p. 184. not. *Kant* Kritik der reinen Vernunft p. 294 sq. de noumenis.

§. 37.

Substantia summa est simul unica.

Talem autem tantamque intelligentiam non vnam, sed *unicam* esse, idoneis

contenditur argumentis. *Primum* enim substantiam summam non cogitamus, nisi vnicam, quia fieri non posset, quin minueretur diuidendo, adeoque suprema esse desineret a). *Adde*, mundi partes aptissime inter se connexas et conseruatas vnitatem auctoris et gubernatoris indicare b). *Postremum* historiam habemus testem, philosophos omnium gentium ex polytheismi praestigiis vltimum ad dei vnus fidem emersisse c). In *libris sacris* eadem doctrina multis, iisque egregiis dictis confirmatur: Exod. II, 3. Dent. IV, 39. VI, 4-6. Ies. XLIV, 6. Matth. XXII, 37 sq. Ioh. XVII, 3. Act. XIV, 15. Gal. III, 20. Testantur nimirum, monotheismum Israelitarum historicum et particularem a Christo in rationalem et vniuersalem conuersum esse, quem, propter funesta polytheismi connectaria (Rom I, 21 sq.) d), ceu fundamentum fidei et religionis, summo studio amplecti et conseruare debemus.

- a) *Lactant. institut. diu. lib. I. c. 3-8. Fernelon* demonstration de l'existence de Dieu. Amsterdam 1731. p. 271 sq. *Kant* Critik der reinen Vernunft p. 607. 843.
- b) *Leibnitii theodic. § VII. Fernelon* p. 281.
- c) *Grotius de veritate rei. christ. § III. Pfaffner* systema theol. gentil. c. II. §. 9 sq.
- d) *Conf. de origine polytheismi Plin. hist. nat. lib. II. c. 5. Fossius de origine ac*

progressu idololatriae. Francof. 1668.
Meiners historia doctrinae de vno vero
Deo: Eiusd. Grundriss der Geschichte
aller Religionen. Lemgo 1787. §. 3 sq.

§. 38.

2) *Attributa intellectus. Sapientia Dei.*

Intellectum dum tribuimus numini,
eundem non discursivum, sed intuitivum esse statuimus, qui cognitionis fontem habet in se ipso *a*). Quapropter eum haud nudum, sed *sapientem*, vel *cognitione summi boni instructum* esse cogitamus *b*). Distinguimus itaque sapientiam *theoreticam*, quae cognitione veri, perfectionis, beatitatis summa absoluitur; et *practicam*, quae boni summi cum creaturis communicandi rationem optimam perspectam habet, iterumque dispesci potest in *technicam* et *ethicam* *c*). Probatur autem sapientia numinis, cum ex natura rationis, quae cognitione boni profligatur *d*); tum ex ordine rerum physico et morali, progressum mundi continuum ad summum bonum indicante; postremum ex locis scripturae sacrae idoneis: Psalm. CIV, 24. Ies. XL, 15 sq. Prov. VIII, 22. Rom. XI, 33 sq. Col. II, 3. 1 Timoth. I, 17.

a) Kant Critik der reinen Vernunft p. 135.

138. 145. 311.

b) M. religiöse Moral, in der Lehre vom höchsten Gute §. 39 sq.

c) Kant Kritik der Urtheilskraft p. 270. 279 sq.

d) Conf. Platonis Philebus tot. Tennemann System der platon. Philosophie tom. IV. p. 47 sq. Buhle Lehrbuch der Geschichte der Philosophie tom. II. p. 205 sq.

§. 39.

Omniscientia Dei.

Sapientia Dei practica (§. 38.) adiunctam sibi habet *omniscientiam*, vel *perfectissimam cognitionem mutationum et euentorum mundi omnium*, quam in *necessariam, liberam et mediam* olim diuidere solebant theologi a). Quum enim series eorum, quae in tempore fiunt, causa nitatur aeterna (§. 35); patet etiam, cognitionem Dei vniuersalem et intuitivam antecedere debere mutationes mundi singulas, ne liberis quidem hominum actionibus exceptis, quas omnino praeiudicet et sub conditione arbitrii hominum liberi ordini rerum naturali interseri debere constituit numen b). Probatur autem omniscientia Dei cum ex intellectus diuini natura (§. 38); tum ex ordine rerum physico et morali, casum fortuitum quemuis secludente; postremum ex scripturae sacrae locis disertis: Iob. XXXIV, 21 sq. Psalm. XCIV, 8 sq.

CXXXIX, 1 sq. Prov. XII, 14. Ies. XL, 28. Matth. X, 30. 1 Cor. IV, 5. Hebr. IV, 13.

a) Idque non sine variis incommodis: prima enim, quæ circa *possibilia* versari debet, et postrema, amplectens ea, quæ sub conditione facta essent (1 Sam. XXIII, 9-12. Matth. XI, 21), in intellectu intuitivo locum habere nequeunt. Conf. Herderi Gott. Ed. I. p. 107. 117. Rehberg Verhältniß der Metaphysik zur Religion pag. 118. Doederlein christlicher Religionsunterricht tom. IV. p. 242 sq.

b) Incidimus hic in locum post *Ciceronem* (de fato tot.), *Stoicos* (*Seneca* de providentia: *Antonin.* ad se ipsum lib. IV. *Gell.* IV. A. VI, 2), *Augustinum* (de libero arbitrio lib. III. c. 2. de gratia et libero arbitrio), *Boethium* (consolat. philosoph. lib. V. tot), *Ioannem Damascenum* (de orthodoxa fide lib. II. c. 30.) et scholasticos a *Luthero* imprimis (de seruo arbitrio Vitemberg. 1526), cum laude tractatum. Quamvis enim multa ibi satis dure pronuntiata inueniamus; vidit tamen vir incomparabilis, inani Ioannis Damasceni discrimine inter *πρόγνωσιν* et *προοριζόν* Dei tantam litem sopiri nullo modo posse. Me quidem iudice in componenda omniscientiæ diuinæ efficacia cum libero hominum arbitrio sententia obiectiua et subiectiua probe discernenda est. *Subiectiue* in tuto collocatam esse videmus libertatem humanam, quia sine illa cognitio Dei in mente humana locum habere nequit: cognitum vero (omniscientia Dei) nunquam tollere potest cogitandi

fontem et principium (*αὐτοπρωτὸν* animi in cogitando). Conf. in *religiöse Moral* Gotting. 1800. §. 18. *Obiectivae* autem in mente diuina fortuita nulla sunt, sed omnia potius necessitate fatali connexa, adiecta tamen in moralibus arbitrii liberi conditione, quae, vti humanae conscientiae imputationis spatium relinquit, ita diuinae praescientiae ordinem et rationes turbare nequit. *Vtrumque itaque amplectimur, certum ordinem rerum ex Dei praescientia, vt recte credamus; liberum arbitrium, vt bene viuamus.* AUGUSTIN. de ciuit. Dei lib. V. c. 9.

§. 40.

- 3) *Attributa voluntatis diuinæ vniuersalia.*
Libertas, omnipotentia, unitas.

Voluntatem dum tribuimus Deo, contendimus, eum *summa vi et facultate ad agendum et ad exsequendam cognitionem summi boni instructum esse.* Cum hac voluntate coniungimus in *vniuersum* notiones *libertatis, omnipotentiae et unitatis.* *Libera est voluntas Dei, quia a nemine pendet, nisi ab intellectu purissimo, cuius decreta sunt sapientissima (§. 53) a). Omnipotens est, quia vi suprema pollet, consilia intellectus perficiendi b). Vna est, quia non temporis sensuumque mutationibus, sed aeterno summi boni amore regitur c).* Patet autem veritas eorum, quae dicta sunt, *cum ex natura*

intelligentiae summae, quae voluntatem liberrimam sibi habet adiunctam; *tum* ex rebus creatis, earumque perennitate, quae decreti diuini vnitatem et efficaciam probant maximam; *tum* denique ex libris sacris, qui numini *voluntatem* (Psalm. CXXXV, 6. Matth. XI, 26), eamque *liberam* (Psalm. CXV, 3. Rom. IX, 16. XI, 36), *potentissimam* (Iob. XXVI, 5 sq. XXXVIII, 4 sq. Psalm. XXXIII, 6 - 9. Ies. XL, 12 sq. Luc. I, 37. Ephes. III, 20) et *vnam* vel *inmutabilem* (Num. XXIII, 19. Ierem. IV, 28. Rom. XI, 29. Hebr. VI, 17) vindicant.

- a) Exultat itaque e voluntate numinis *impetus* caecus vel *absolutus* (Rom. IX, 18.) et *arbitrium liberum*, vel indifferentia ad opposita (*Spinozae* epistol. LXII.) Sententia contraria iam a longissimis inde temporibus errores foedos progeniuit, in doctrina de praedestinatione et constitutione religionis arbitraria. Vid. *Ernestii* opuscula theolog. pag. 189 sq. et diarium olim nostrum: *Neues theolog. Journal* tom. IV. p. 461 sq.
- b) Distinguunt omnipotentiam *ordinatam*, legibus adstrictam, *absolutam*, in miraculis conspicuam: sed sine disciplinae commodo. Vid. §. 15 sq.
- c) Additur in corpusculis dogmaticis diuisio voluntatis diuinæ 1) in *reuelatam* et *arcanam* vel *imperscrutabilem* (Rom. XI, 33), qua "multa facit, quae verbo suo

non ostendit nobis:" LUTHERUS de arbitrio seruo. Vitembergae 1546. p. 142 sq. 2) in *absolutam* (les XLVI, 10.) et *conditioni iunctam* (les LXV, 12): 3) in *antedentem*, vel voluntatem *misericordiae* ex mente Tertulliani, (conf. Ezech. XVIII, 23. 1 Tim. II, 6), et *consequentem*, vel voluntatem *iustitiae* (Ioh. III, 16. Marc. XVI, 16): 4) in *naturalem* et *liberam*. Excussas videsis notiones, vel voces potius istas omnes in libro *Eckermanni: Handbuch für das systematische Studium der christlichen Glaubenslehre* tom. II. pag. 176 sq.

§. 41.

Attributa specialia. Sanctitas Dei.

Hanc autem numinis voluntatem in specie *sanctam* esse praedicamus, vel inuiolabilem et propter summam perfectionem maxima veneratione dignam a). Est enim sanctitas, quam diuerso modo finiunt theologi b), *consensus voluntatis liberrimae perfectissimus cum legibus intellectus sapientissimi*. Probatur primum ex intelligentiae diuinae indole, quae vi sua voluntatem non flectere nequit; deinde ex voluntatis efficacissimae natura a sensuum illecebris plane immuni; accedit numinis essentia, quae summam perfectionem non cognoscere solum debet, sed etiam possidere; *libri sacri* autem voluntatem dei cum vitiositatis omnis

expertem, adeoque incomparabilem, (Levit. XI, 44. XIX, 2. XX, 7. Psalm. V, 5-7. Ies. VI, 3. Iacob. I, 13. Hebr. VI, 13). *tum* purissimum et certissimum boni exemplar esse (Deut. XXXII, 4. Psalm. XVIII, 26 sq. Matth. V, 48. 1 Petr. I, 16. 1 Ioh. III, 3), diserte docent c).

a) In tanta huius vocis obscuritate, confugiendum est ad originationem et sensum vocis linguis pluribus communem. Hebraicum קָדַשׁ *separati*, *immunis a labe*, proptereaque *maxime colendi* notionem continere, dubitatione caret: vide *Sbockium* et *Michaelis* supplementa ad h. v. Verba graeca, ὅσιος et ἄγιος auctore *Etymologo* M. descendunt παρὰ τὸ ἄλω, σέβουαι, et primum opponuntur βεβήλοις, deinde pura, bona, perfecta, adeoque colenda designant. Conf. *Ammonius* de adfinium vocabulorum differentia v. ὅσιος: *Suiceri* thesaurus v. ἄγιος. Romanis *sanctum* est inuiolabile (*Cicero* leg. III, 3): *amores sancti* sunt puri, voluptate haud contaminati (fin. III, 20). Teutonum *heilig* descendit a voce *Heily*, *Heil*: vid. *Schilteri* glossarium Teutonicum et *Adelungii* Wörterbuch v. *heilig*. Genesis itaque significationum huius vocis haec est: 1) *separatum*: 2) *inuiolabile*: 3) *incomparabile*: 4) *perfectissimum*: 5) *summo-pere venerandum*.

b) V. c. ab *Hollazio*, *Buddeo*, *Baiero*, *Milero*, *Doederlinio*, *Eckermannno*, *Henkio*, quarum notiones omnes dignae sunt, quae inter se conferantur. Videatur etiam

Saurin sur la sainteté (Sermons tom. IV. p. 4). In longe alia abit *Kantius* (Critik der praktischen Vernunft p. 155 sq.), qui ultra nudam legis suae moralis notionem adurgere haud videtur. Confer. librum nostrum: *neues Lehrbuch der religiösen Moral* §. 41 sq.

- c) Distinguendae sunt itaque, voces קדוש, חסיד, נטהר, חמים, αγιος, αγιος, αγιος. Vid. *Eckermanni Handbuch* t. II. p. 240 sq. m. bibl. Theologie tom. I. p. 137 sq.

§. 42.

Bonitas Dei.

Deus, qui seorsim spectatus sanctus dicitur, *bonus* adpellatur propter aeternum boni summi cum creaturis communicandi decretum. Distinguunt in bonitate *benignitatem*, quae fons est beneficiorum externorum sensibus percipientium a): *misericordiam*, quae bonitas est erga creaturas calamitatibus oppressas b): *amorem*, qui in promouenda spirituum creatorum salute versatur; *gratiam*, vel bonitatis continuationem erga indignos. Argumenta deriuantur *primum* ex notione voluntatis sanctae, quae boni possessionem intra naturae suae limites continere nequit c); *deinde* ex necessitate bonorum externorum ad felicitatem; *postea* ex sapientia diuina, quae calamitates haud sine consilio immittit creatu-

E

ris; *postremum* ex naturae diuinæ similitudine, quam Deus contingere voluit spiritibus creatis, vel in scelestorum animis haud plane exstinguenda. *Accedunt* testimonia scripturae sacrae, quae, mixtis tamen inter se diuersis bonitatis notionibus, confirmant *bonitatem* (Psalm. XXV, 6 sq. C, 5. Ierem. XXXI, 3. Luc. XVIII, 19), *benignitatem* (Psalm. XXXVI, 7 sq. CIV, 10 sq.), *misericordiam* (Exod. XXXIV, 6. Psalm. XXV, 6. CIII, 13. Luc. I, 15), *amorem* (Deut. XXXIII, 3. Ies LXIII, 16. Malach. II, 10. Math. VI, 9. XXIII, 9. 1 Ioh. IV, 8.) et *gratiam* (Psalm. LI, 3. Math. V, 45).

- a) Güte, sensu pathologico, *Gütigkeit*: bonitas latior notio est benignitate.
- b) M. biblische Theologie: Ed 2. tom. I. pag. 142 sq.
- c) Bonum non est, quin communicet sui naturam, ex sententia Platonis. Conf. *Theodoret* orat. II. opp. edit. Schulz tom. IV. p. 507 sq.

§. 43.

Iustitia Dei.

Hanc autem bonitatem dum sapienter administrat Deus, ita vt suum cuique conseruetur, *iustus* est. *Iustitiam* enim adpellamus *attributum diuinum*, quo *fata hominum spirituumque in vniuersum con-*

stituit ad normam meriti vel culpae. Distingunt *legislatiuam*, quae voluntatem diuinam promulgat, et *executiua*, quae vim legum sustinet factis; eamque iterum diuidunt in *remuneratoriam*, quae virtutem praemiis ornat, et *vindicem*, quae peccatum poenis debitis castigat. Deriuatur autem iustitia diuina cum ex desiderio summi boni naturae humanae insito, cui iustum est, vt satisfiat *a*); tum ex bonitate diuina, quae canere debet, vt suum cuique conseruetur; tum ex sapientia naminis, cuius est, iniustorum libidines continere et ad mentem meliorem renocare. Neque desunt librorum sacrorum testimonia diserta: Deut. X, 17. Hiob. XXXIV, 10-12. XXXV, 5-8. Psalm. XXXVI, 7. Rom. II, 6-12.

a) Nolim itaque cum *Kantio* contendere (Tugendlehre p. 184), iure erga numen omni priuatos esse homines. Distinguitur modo inter ius *absolutum* et libere in creaturas a Deo collatum; inter ius *externum* et *internum*.

§. 44.

Continuatio.

Cauendum autem est summopere, ne iustitiam diuinam, quae *paedeutica* est et aeternae legi aequilibrata *a*) adstricta, cum iustitia hominum forensi, positua

inprimis et arbitraria, commutemus. *Praemia* enim diuina, quae bona sunt, siue *interne*, siue *externae* cum virtute connexa (*praemia naturalia, positiua*), merito agentis vbicunque attemperata deprehenduntur, dummodo non facta singula expendamus, sed totius vitae cursum et perennitatem persequamur (2 Cor. IX, 6. Gal. VI, 8). Eadem ratione *poenae*, quae mala sunt siue *interne* (Ioh. III, 18), siue *externae* cum peccato coniuncta (*poenae naturales, positiuae*), iustissima *ισονομία* culpaе vestigia premunt, dummodo poenae obiectiue et subiectiue sumtae notiones, caute distinguamus *b*). Quin in ipsa mentis emendatione, qua absoluta, poena quaeuis expirat (2 Cor. VII, 10. Hebr. XII, 6-12), moerorem et poenitentiam iustum peccati vindicem adesse sentimus *c*). Adstipulantur auctores sacri (1 Sam. XXVI, 23. Psalm. XVIII, 21. 25. Hiob. XXXIV, 11. Prov. XII, 14. XIII, 13. 21. Matth. VI, 4. 2 Thess. I, 6), qui hinc inde ne ab irae quidem et vindictae diuinæ mentione sibi temperant (Exod. XXXII, 10. Psalm. VI, 2. XCIV, 1. 1 Ioh. III, 36) *d*).

- a) Talionem adpellant libri Hebraeorum sacri Exod. XXI, 24. Conf. *Kant Rechtslehre* pag. 197. Patet vltro, formulam non cum puluisculo excutiendam, sed ad

leges naturae physicas et morales revocandam esse.

- b) Neues theolog. Journal tom. IV. p. 470 sq. *Velthusenii* commentationes theolog. t. III. p. 185 sq. 216 sq. *Eberhard* Apologie des Socrates tom. II. p. 258 sq.
- c) *Kant* Religion innerhalb der Gränzen der bloßen Vernunft p. 91 sq. m. Predigten zur Beförderung eines moralischen Christenthums tom. I. §. 8. *von der Neue*.
- d) M. relig. Moral §. 209. *Lactant.* de ira diuina c. 5.

§. 45.

Beatitas et maiestas diuina.

Tot et tantis Dei attributis *beatitas* adhuc et *maiestas*, tanquam comites, adiunctae esse debent. *Beatum* nimirum adpellamus Deum, quia *purissima perfectionum suarum conscientia* intra se ipsum fruitur; qua notione libri sacri gentilium commentis longe antecellunt (Psalm. XVI, 11. 1 Tim. I, 11. VI, 15). *Maiestatem* autem, vel *gloriam* tribuimus Deo propter *summum perfectionum omnium complexum a creaturis venerandum*, quem nimbi specie inuolutum illustrant libri sacri (Exod. XIX, 16 sq. XXXIII, 17–23. Deut. VII, 21. Ies. VI, 3. Act. VII, 2. 2 Cor. III, 18. 1 Tim. VI, 16) a). Difficile enim est omnino in illustrandis iis, quae numini propria sunt, imagina-

tionis lusus effugere, cui ab antiquissimis inde temporibus diuinarum rerum scientia latissimum, in quo exspatiaretur, campum aperuit b).

- a) Vide de *דוֹזָא* numinis dissertationem *Vitrinae* in obseruat. sacris tom. I. p. 161 sq. *Buxtorf.* lexic. rabbin. et chald. voce שכינה.
- b) Progressum generis humani in theologia a fetischismo ad anthropomorphismum, ab anthropomorphismo ad pantheismum vel emanatismum, a pantheismo ad spiritualismum historia cum sacra, tum profana, abunde testatur.

SECTION II.
DE
TRINITATE DEI.

§. 46.

Introductio.

Non sine ratione mirum videri posset multis, quomodo factum sit, ut personarum et trinitatis nomina, ἁγία Trinitas doctrinae Christianae inferrentur, quae unitatem numinis Iudaicam tantis argumentis confirmavit (§. 37). Respondetur tamen, imaginationem hominum attributis diuinis ubique fere personae speciem induisse a); discrimen V. T. inter Deum, spiritum eius atque sapientiam sine verbum, iam Cabbalistis formandae triadi cuidam occasionem prae-buisse, in religione Messiana curatius determinatae b); accessisse mox ecclesiasticam sedulitatem, quae Gnosticorum licentiam contineret et religioni publicae Θεὸν Ἰσχυρόν formulis subinde auctis vindicaret; doctrinam autem semel constitutam antiquitate, symbolis, conflata haereticis invidia, quid quod supplicii paratis, novas semper radices et incre-

menta egisse. Quae tamen omnia doctores non impedierunt, quo minus sententias Christi et apostolorum e fontibus repeterent, easque coaeuorum vsibus sapienter accommodarent.

- a) *Pfanner* Systema theologiae gentilis c. III. § 2 sq. *Mortimer* Missionssocietät in England t. II. p. 478. Barby 1800. Adde trinitatem Indorum ex *Sonneratio*, vel *Paulino*; *Flügge* Beiträge zur Geschichte der Religion und Theologie. Hannover 1797. tom. I. p. 17 sq.
- b) *Vitringa* observat. sacrae tom. I. p. 145 sq. *Eichhorn* Bibliothek der biblischen Literatur. tom. III. p. 195 sq.

§. 47.

1) DE DEO PATRE: doctrina biblica.

Doctrina de Deo, patre omnium, a tot vatibus populisque celebrata, in libris sacris etiam clare, sed diuersa ratione, proponitur. Adpellatur enim Deus

- 1) pater regum Israeliticorum (Psalm. LXXXII, 6), Davidis inprimis (Psalm. II, 7. LXXXIX, 27) et Salomonis (2 Sam. VII, 14), ad quorum exempla Messianae postea notiones compositae sunt:
- 2) pater populi Israelitici (Deut. XXXII, 6, Ies. LXIII, 16. Ierem. III, 19. Malach. I, 6. Ioh. VIII, 41):

- 3) pater totius generis humani (Matth. VI, 9. XXIII, 9. Ioh. IV, 21-23. Ephes. III, 15. 1 Ioh. III, 1 sq.) a):
- 4) pater saluatoris nostri Iesu Christi (Luc. II, 49. Ioh. V, 17. Rom. XV, 6. 1 Cor. I, 3. Ephes. III, 14) b), quem genuit (1 Ioh. V, 1) c) et ad homines beandos in mundum venire iussit.

a) Cicero de nat. Deor. II, 66.

b) Confer Ioh. XX, 17. 2 Cor. I, 2. Phil. I, 2. Col. I, 2. ad ventilandam quaestionem, vtrum et quatenus Deus sensu proprio adpelletur pater Iesu Christi?

c) Hoc est *misit* (Ioh VIII, 42. X, 36. XVII, 8): confer tamen Prov. VIII, 25 sq. Sirac. XXIV, 4. 12. et librum nostrum: *bibl. Theologie*. Ed. 2. tom. I. p. 178 sq.

§. 48.

Doctrina ecclesiastica cum epicrisi.

Ab hac tamen patris notione biblica in tantum discesserunt doctores, quantum eam non *ὁσιωδώς*, sed *ὑποστατικώς* praeferendam esse censuerunt. Statuunt nimirum a): Deum patrem esse primam trinitatis personam, a reliquis *ἀγεννησία*, generatione filii, et spiratione spiritus aeterna distinctam b). Quam sententiam dum strenue propugnauerunt, iniudicatas tamen has fere reliquerunt quaestiones: vtrum sensus Dei patris personalis in libris sacris occurrat; et

quibusne locis scripturae generatio filii c) et spiratio spiritus aeterna, non mediate et obscure, sed clare et simpliciter defendi et demonstrari queat?

- a) *Tom. Damascenus* expos. orthod. fid. lib. I. c. 9 de patre et filio: Symbol. apostolicum et Nicaenum initio: August. Conf. art. 1. *Calou*, systema tom. III. pag. 198 sq.
- b) Dogmatibus hisco adiunxerunt *προβλήματα* sequentia: 1) *utrum filius etiam et spiritus sanctus pater sit creaturarum*, 2) *an Deus proprie vel improprie sit pater Iesu Christi?* 3) *utrum ἀγεννητὴς essentiae patris nota sibi, vel personae?* 4) *an hac ἀγεννητὴς pater dignitate superet filium spiritumque?* Vid. *Calou*. l. c.
- c) Contra *Actium* imprimis: vide eius συγγραμμάτων lectu dignissimum apud *Epiphanius* haeres. 56. lib. 76. §. 10.

§. 49.

2) DE FILIO DEI: notio biblica.

De filio, filiaue a) *numinis* ubi verba faciunt scriptores, notionem etiam multiplicem vocabulo substernunt. In literis sacris distinguitur sensus filii Dei

- 1) *physicus*, quo corpus mentemque hominis a numine originem ducere contenditur (Gen. V, 1. Luc. III, 38. Act. XVII, 28):
- 2) *politicus*, quo magistratus et reges compellantur, ceu vicarii et *συνήγοροι*

numinis (Exod. XXI, 6. XXII, 8. 9. Psal'm. II, 7. LXXXII, 6. LXXXIX, 23. CX, 1 sq. 2 Sam. VII, 14. coll. Matth. XXI, 9. XXII, 45):

- 3) *ethicus*, quo similitudo hominum piorum cum Deo moralis adumbratur (Gen. VI, 2. Exod. IV, 22. Deut. XIV, 1 sq. Matth. V, 45. Ioh. I, 12. 1 Ioh. IV, 1 sq.):
- 4) *idealis*, quo spiritus homine maiores insigniuntur (v. c. angeli Hiob. I, 6. II, 1. sapientia Dei et natura Messiae sublimior Prov. VIII, 22 sq. Sap. Salom. IX, 1-4. Ies. Sirac. XXIV, 3-9. Ioh. I, 18. Col. I, 15) *b)*, et a quo etiam philosophica filii diuini notio proxime abest *c)*.

Considerandum est igitur, quonam sensu Iesum Dei filium adpellari velint scriptores sacri?

- a) Ies. XLIII, 6. Σοφία etiam in apocryphis et apud Philonem *filia Dei* est, vel υἱός, ἢ συνὼν ἐσπείρε γένεσιν· ἢ δε παραδείγματα τοῦ Θεοῦ σπέρμα ἀπεκύησε τὸν μόνον καὶ ἀγαπητὸν υἱόν, τόνδε τὸν κόσμον (de temulent.) Conf. Kant, Streift der Facultäten pag. 51.
- b) Vide librum: *biblische Theologie*. ed. 2. tom. I. p. 00 sq.
- c) V. c. *Iustini M.*, *Spinozae*, *Kantii*, *Herderi*. Vid. I. c.

§. 50.

Doctrina biblica de Iesu Dei filio.

Iesus ipse, dum in hisce terris versatus est, se primum *filium hominis* adpellavit (Matth. XVI, 13 sq. Ioh. I, 52), sensu ambiguo (Ioh. XII, 34), hominem tamen et humanam sortem (Ioh. XIV, 23) designante a); deinde politicam Messiae Davidisque filii dignitatem auersatus (Ioh. VI, 15. Matth. XXII, 42), diuinique contra filii nomen occupans (Matth. XVI, 16. Ioh. X, 36), aduentum caelestem (Ioh. VI, 62. VIII, 42. XVII, 8), existentiam *πρωτόγονον* (Ioh. VIII, 58. XVII, 5), potestatemque diuinam (Ioh. V, 22. Matth. XXV, 31 sq. XXVIII, 18 - 20), cen praedicata Messiana, siue proprie, siue sensu morali (Ioh. X, 30. 35) sibi vindicauit b). Doctoris caelestis vestigia pressit *Ioannes*, qui *λόγον*, h. e. verbum (Psalm. XXXIII, 6) vel *σοφίαν* numinis, mundi conditricem (Ioh. I, 3) et a vatibus iam olim non alienam (Sap. Salom. VII, 27), in Iesu formam humanam sibi induisse statuit (Ioh. I, 14 sq.) c). Singularem viam ingressi sunt *Paulus* et epistolae ad Hebraeos auctor, qui *σοφίαν* (Col. II, 3. 9), vel naturam Christi sublimiorem ante omnia creatam (Col. I, 15), post mundum ab illa conditam (Col. I, 16. Hebr. I, 2 sq.), ad formam seruilem Iesu descendisse

(Phil. II, 7. Hebr. II, 14), deinde postliminio in coelum receptam summamque inter spiritus creatos omnes dignitatem a patre nactam esse contendunt (Phil. II, 9. Col. I, 16 sq. Ephes I, 20-23. Hebr. I, 2, 4) d). Quae omnia ansam prae-
bueret quaestioni, annon in ipsis libris sacris diuersa doctrinae, de dignitate Christi diuina, semina proiecta fuerint e)?

a) Conf. Dan. VII, 13. Ezech. I, 2. et imprimis rabbinicum בְּרִשׁוֹ in libro Sohar saepissime obuium, cui *ὁ ὢς ἀνθρώπου* maxime respondere videtur. Vid. *theolog. bibl.* tom. I. p. 193 sq.

b) Act. II, 22. XVII, 31. certe Iesus recens in coelum sublatu adhuc *homo* vocatur.

c) Ibid. p. 208 sq. et commentatio nostra: *de prologi Ioannei fontibus et sensu*. Göttingae 1800. recusa in nouis opusc. theolog. Gotting. 1803.

d) *Theolog. bibl.* tom. I. p. 218 sq.

e) *Walch Geschichte der Ketzereien* I, 317 sq. Puto 1) *Gnosticismi* vel *Emanatismi*: 2) *Eclexeos* (Justin. M., Praxeas, Origenes): 3) *Sabellianismi*: 4) *Arianismi*: 5) *Athanasianismi*: 6) *Photinismi*. Vid. *Calou. syst.* III. 240 sq. *Schlegel Lehre von der heil. Dreieinigkeit* p. II. Sect. I. p. 219 sq. *Müncher Dogmengeschichte* tom. I. pag. 376 sq. et *Martini in libro bonae frugis pleno: Versuch einer pragmatischen Geschichte des Dogma von der Gottheit Christi* cet. tom. I. Rostok und Leipzig 1800.

§. 51.

Doctrina ecclesiastica cum epierisi.

In nostra ecclesia placuit a), Iesum Christum Dei filium adpellare imaginem Dei (Hebr. I, 3) subsistentem, quam pater aeternus, sese intuens, cogitatione sui et communicata ipsi essentia, genuit. Hic Dei filius est secunda trinitatis persona, quae, licet aeterna ipsa, a patre tamen ex essentia sua ab aeterno, non creata, neque facta, sed genita, eidem patri consubstantialis est; cum patre in spiritu sancto creauit mundum; et ab illo communicata essentia diuina, ab hoc spiratione actiua, ab utroque incarnatione suo tempore facta distinguitur b). Neque tamen defuerunt, qui vel in hac doctrina, fidei historicae columna, non adquiescerent, interrogantes: vtrum proprie, vel improprie τῷ λόγῳ personae speciem induerint auctoris sacri; anne iteratam (Sap. Salom. VII, 29) et particularem, siue singularem et exclusiuam incarnationem λόγου doceant in Iesu factam; vtrum mens humana, alias aurae diuinæ tantum particulam capiens, omnem numinis plenitudinem in se recipere potuisset c); anque cogitari queat debeatue in vniuersum, creaturam intelligentem vere et proprie ad diuinitatis gloriam euectam esse d)?

- a) *Melanehthion* loci theol. de filiis ed. Lips. 1572. p. 315. cum quo conferenda similis adumbratio *Lessingii* in theol. Nachlafs. Berolin. 1784.
- b) *Conf. Socrates* histor. eccles. lib. I. c. 8. *Ioannes* Damasc. expos. orth. fid. lib. I. c. 9. *libri symboli* Aug. *Conf. init. et symb.* Athanasiano: *Calou. l. c. Apolog. Aug. Conf. prolog.* in fine.
- c) *Kant: Kritik der reinen Vernunft* p. 598.
- d) *Seniler* letzte Aeußerung über christliche und natürliche Religion p. 203 sq. *Ierusalem's* Nachlafs p. I. pag. 233. ed. min. *Löffler* Zugabe zu Souverain Platonismus der Kirchenväter. ed. 2. p. 382 sq. Kritik und Erklärung des zweiten Artikels vom christlichen Glauben, oder die Lehre vom Sohne Gottes aus Zeitbegriffen (Zerbst) 1802.

§. 52.

3) DE SPIRITU SANCTO: doctrina biblica.

Auctores sacros, quemadmodum in homine corpus et mentem distinguunt, discrimen simile a numine ipso alienum haud putauisse, Iesu ipso licet in alia abeunte (Ioh. IV, 23), probabile est (1 Cor. II, 10 sq.). Adumbratur nimirum spiritus diuinus in libris V. T. primum ceu *natura spirans* et *spirabilis*, quae vitam et halitum immittit hominibus (Gen. I, 2. II, 7. Psalm. CIV, 29. Hiob. XXXIII, 4. 1 Sam. XVI, 14-16); deinde

cei causa mouens in vniuersum, quae vires ingenii animique humani excitat, alit et fouet (Exod. XXXI, 1-5. Gen. XLI, 38 sq. 1 Sam. X, 10 sq.), propterea-
que mentibus eorum illabitur in iisque sedem figit (Ps. LI, 11-16. CXLIII, 10) a). Spiritum sanctitatis (venerandum) adpellant prophetae (Ps. LI, 13. Ies. LXIII, 10): sanctum Hellenistae demum in apocryphis [Sap. Salom. IX, 17 b). Histor. Sus. v. 45]. In libris N. T. idem spiritus sanctus non pro diuino solum declaratur (Ioh. III, 5. XV, 26. 1 Cor. II, 11. III, 16. Act. V, 4.) personaeque speciem sibi induit (Matth. XXVIII, 19. Ioh. XIV, 16. XV, 26. 2 Cor. XIII, 13); sed multa etiam, ex parte miranda operatur, physice (Luc. I, 38), in intellectu (Ioh. XV, 26. XVI, 13 sq. Act. II, 1 sq. X, 44 sq. 1 Cor. XII-XIV.) et animis (Rom. VIII, 14-16. 1 Cor. III, 16. VI, 19) Christianorum; adeo, vt omne fere generis humani commercium caeleste ad spiritum sanctum, renocetur c).

- a) In libris Iudaeorum, praesertim in libro ויכח, spiritus Dei cum spiritu homines adeo coniunctus esse dicitur, vt in hunc perpetuo influat et in Deum resiliat. Vid. commentat. nostr. de vestigiis theologiae Iudaicae, in epistola Pauli ad Romanos: in opusc. nov. theol. Gotting. 1803,

- b) *Conf. bibl. Theologie des neuen Testaments* tom. II. Lips. 1801. p. 268 sq., quo loco spiritum sanctum eundem esse cum λόγῳ (post *Iustinum* M. dial. p. 2. *Irenaeum* adv. X. haer. I, 19. et *Ioannem* Damascenum lib. III. c. 2.) contenditur, cum nostra *theol. bibl.* tom. I. p. 245 sq. et *Ioh.* VII, 39.
- c) Post haec delibetur historia doctrinae de spiritu sancto ad ecclesiastici vsque dogmatis originem. Vid. *Theodoret.* Hist. eccles. lib. V. c. 9. *Athanasii* epistola ad Serapionem op. ed. Colon. t. I. p. 123 sq. *Walch* Historie der Ketzereien. tom. III. p. 70 sq. *Baumgarten* Polemik Th. I. p. 375 sq. et ante omnes *Ziegler* historia h. d. in libro: *theologische Abhandlungen.* Gotting. 1791. tom. I. p. 70 sq.

§. 53.

Doctrina ecclesiastica cum epicrisi.

Haec autem librorum sacrorum de spiritu diuino doctrina varia et multiplex sensim ad has fere sententias reuocata est: spiritum sanctum non vim esse vel attributum numinis, sed hypostasim vel personam trinitatis tertiam, a patre filioque procedentem a), ab utroque interne spiratione ineffabili, externe missione in animos hominum distinctam b). Monitum autem est saepius, in hac adsertione non omnia aequae clara esse: utut enim spiritum sanctum natura sua Deum esse haud negaueris c), desiderabis tamen hy-

postaseos, spirationis vel *πνεύς* et processus a filio argumenta idonea, quum vel in ipsis libris sacris *spiritus sanctitatis, sapientiae et omnipotentiae* non ubique distinguatur d).

a) A patre: Ioh. XV, 26. 1 Cor. II, 11. Psalm. XXXIII, 6. Matth. X, 20. A filio: Ioh. XVI, 7. 14 sq. XX, 22. Rom. VIII, 9.

b) *Athanasii* dialogus cum Macedoniano (opp. ed. Colon. tom. I. p. 261 sq.) *Ioannes* Damascen. lib. I. c. 10. de spiritu sancto: LL. SS. symb. Athanas. *Aug. Conf.* art. 1. *Calou.* 1. c.

c) Ioh. IV, 23 sq.

d) Ies. XI, 2. Sap. Salom. IX, 7. Luc. I, 38. Ioh. VII, 39. Rom. I, 4. De interpolatione symboli Athanasiani (opp. ed. Colon. tom. I. pag. 32.) et Constantinopolitani. *Schmid*, die christliche Religion als Wissenschaft. Jena 1797. pag. 317 sq. *Löffler* 1. c. pag. 426 sq. *Ierusalem* nachgelassene Schriften. Braunschweig 1792. p. 232 sq.

§. 54.

Doctrina ecclesiastica de trinitate.

In hoc manifesto patris, filiū et spiritus sancti discrimine, a Iesu et apostolis tradito (Matth. XXVIII, 19 sq. 2 Cor. XIII, 13), et a patribus *τριάδος* vel *trinitatis* nomine insignito a), placuit sensim in ecclesia, diuinitatis essentiam

(ὁυόλαν) et substantias eius (ὑποστάσεις, πρόσωπα) distinguere b), hac nimirum formula: *essentiam Dei esse vnā et indiuisibilem, tres autem in ea hypostases vel personās perfectas, consubstantiales et coaeternas, patrem, filium et spiritum sanctum c)*. Ignorari noluerunt doctores ecclesiae veteris, monotheismum Iudaeorum et polytheismum gentilium hac sententia in vnā coaluisse d); nostri autem coetus fundatores, vt fraudes nouas praecauerent, monuerunt, *personam esse substantiam indiuiduam, intelligentem et incommunicabilem e)*. Quam notionem duram, et ad tritheismum procliuem f), iam inde a Buddeo g) emollire conantes theologi, nonnulli Sabellianismi scopulis illisi h), alii cum Clarkio i) et Purgoldio k) ad Arii et Origenis errores relapsi sunt. In tanta itaque commentorum varietate, pars theologorum doctrinam ecclesiasticam mordicus tenere, eamque variis similitudinibus illustrare l); pars illam a libris sacris et sana ratione plane alienam esse contendere m); pars denique concordiae studens in beneficiis huic doctrinae adnexis sine inuestigatione subtilitatum dogmaticarum adquiescendum esse statuit n).

a) Post Theophilum Antiochenum de trinitate multa disseruit Tertullianus aduers.

- Praxeam c. 2 sq. Conf. locum egregium in *Lutheri opp.* t. XI. p. 1549. ed. Walch.
- b) Confer. locum disertum et principem in *Theodoreti historia ecclesiastica* lib. V. c. 8. Ingenue tamen fassus est AUGUSTINUS: *dictum est tres personae, non ut illud diceretur, sed ne taceretur.* De trinit. lib. V. c. 9.
- c) *Athanasius* dialog. de sancta trinitate opp. ed. Colon. tom. II. p. 158 sq. *Ioannes Damascen.* lib. I. c. 8. *Augustan. Confess.* art. 1. de Deo. *Melanchthon* loci theologici: *de tribus personis diuinitatis*: p. 313. *Calou.* 1. c.
- d) *Ioannes Damascenus expos. orth. fid.* lib. I. c. 7. *Ex utraque haeresi, Iudaica et gentili, nobis accessit utilitas: ἐν μὲν τῆς Ἰουδαϊκῆς ὑπολήψεως ἢ τῆς φύσεως ἐνότης· ἐν δὲ τῆς ἐλληνισμοῦ ἢ κατὰ τὰς ὑποστάσεις διάκρισις.*
- e) *Aug. Conf.* 1. c. *Melanchthon* ibid.
- f) Substantia enim indiuidua et intelligens indiuiduam etiam et sibi singularem habere debet voluntatem adeoque ab essentia parum differt. Vid. *Ioh. Damascen* lib. I. c. 8. de *supersancta trinitate*.
- g) *Institution. theolog. dogmat.* Lipsiae 1724. pag. 301 sq.
- h) Vide longum indicem apud *Schlegelium*: *Erneuerte Erwägung der Lehre von der heiligen Dreieinigkeit.* Riga 1792. p. II. Sect. II. p. 107 sq. *Doederlein* christlicher Religionsunterricht fortgesetzt von *Iunge.* tom. VI. *Norimbergae* 1796. p. 203 sq.
- i) Die Schriftlehre von der Dreieinigkeit von *Samuel Clarke*, mit einer Vorrede von *Semler.* Frankfurt und Leipzig 1774.

- k) Resultat meines mehr als funfzigjährigen Nachdenkens über die Religion Jesu. Zweite Auflage. Leipzig 1788.
- l) *Silberschlag* Lehre der heil. Schrift von der Dreieinigkeit. Berolin. 1783. Conf. *Schlegel* l. c. p. 109.
- m) *Semler* institutio ad doctrinam christianam liberaliter discendam. Halae 1774. p. 313. *Niemeyer* populäre und praktische Theologie. Halle 1799. ed. 4. p. 310 sq.
- n) *Morus* epitome theol. Christianae. ed. 3. Lipsiae 1795. p. 69 sq.

§. 55.

Continuatio.

In tanta decretorum et opinionum diuersitate difficile est omnino suam hac de re eloqui sententiam. Ne autem eximiorum ecclesiae nostrae theologorum studia a) fructu suo apud nos careant, dissimulare nolim, *unitatem numinis* e scriptura sacra (Deut. VI, 4. Ioh. XVII, 3) haustam ad *Deum*, *trinitatem personarum* vero a patribus sancitam ad *homines* nobis referendam esse videri. Distingui-
mus itaque, vt imbecillitati nostrae succurratur, in numine venerabundi

primum Deum maximum, optimum, omnium rerum auctorem et conseruatorem, patrem nostrum et domini nostri Iesu Christi (Ioh. XX, 17. Phil. I, 2):
deinde λόγον, aeternum Dei filium, mundi conditorem, legislatorem et gubernato-

rem, in Iesu Christo forma humana nobis obuium (Ioh. I, 14) *b*), nostroque generi a peccati illecebris redempto virtutis, salutis et immortalitatis ducem factum (Act. III, 15. 2 Tim. I, 10):

postremum spiritum sanctum, veri, sapientiae, religionis et pietatis in mente humana promotorem et adiutorem summum:

ita tamen, vt patris, filii et spiritus sancti cognitionem, imaginatione seiunctam, simulac tritheismi speciem prae se ferat, statim scripturae sacrae et rationis vnitatem deuinciamus.

a) Iuuat ablegare lectores ad *Doederleinii*, *Eckermanni*, *Haeckleinii*, *Heukii*, *Hufnagelii*, *Ierusalemii*, *Jungii*, *Löffleri*, *Schlegelii*, aliorumque hac de re scripta, cum theoretica, tum practica.

b) In huius enim loci simplicitate gnomica adquiescendum esse putauerim. Sin autem, metaphysicam et libertatem humanam in mente Iesu absorbentem τοῦ λόγου cum carne Christi vnionem stabiliturus, rem ad scholasticam subtilitatem renocaueris, cauendum erit, ne locum cedere debeas aduersariis, identidem clamitantibus cum Platone et Cicerone: καὶ μοι δὲ οὐκ ἴσθες μὲν ἀνὴρ οὐδ' αὐτὸς εἶναι, θεὸς μὲν (Sophista ed. Bipont. tom. II. p. 201): nostri quidem negabant, immortales esse alios, qui aliquando homines fuissent (de natura Deor. lib. II. c. 19).

PARS SECVNDA.
DE
C R E A T I O N E
ET
GVBERNATIONE MVNDI.

PARS SECVNDA.
DE
C R E A T I O N E
ET
GVBERNATIONE MVNDI.

S E C T I O I.
DE
C R E A T I O N E M V N D I.

§. 56.

Introductio.

Deus optimus maximus, dum bonum summum non intra se ipsum contineri, sed extra mentem suam aeternam locum habere voluit (§. 42), creator factus est vniuersi. Adpellamus autem *mundum* complexum eorum, quae extra Deum existunt, tum corporea, tum intelligentia, omnium: eumque *naturam rerum* vocamus, dum certis legibus adstrictus,

dimetatus et inter se connexus esse cogitatur a). Hanc autem rerum naturam notionem non primariam, sed deriuatam, adeoque *mundum creatum* esse contendimus, *quia existentiae eius plena et aeterna ratio in sola numinis voluntate quaerenda est* b). Distinguimus autem in condenda hac rerum vniuersitate creationem *mundi* et terrae in specie, *angelorum* et *hominum*.

a) Kant Critik der reinen Vernunft p. 446 sq. Schulze Untersuchung der Theorie des Unendlichen. Königsberg 1788. Kant allgemeine Naturgeschichte und Theorie des Himmels. Königsberg 1755. I. Frankfurt 1797. Bode Kenntniß des gestirnten Himmels. 6ste Auflage. Berlin 1792. Jakobs allgemeine Religion pag. 147 sq. Lamberts cosmologische Briefe. Augsburg 1761.

b) Qui creat omnia, condit etiam secula et tempora: quapropter creatio proprie sic dicta repeti nequit nisi a voluntate potentissima adeoque aeterna. Multa propter hanc observationem neglectam de creatione inique commenti sunt philosophi, ut bene animaduertit Bouterwek in libro: Apodiktik tom. II. p. 319 sq.

§. 57.

Philosophorum de creatione commenta.

Iuuat tamen perlustrare antea varias philosophorum de creatione mundi coniecturas. Occurrit enim primum *concur-*

sus atomorum ab Epicuro excogitatus, quae pondere suo deorsum latae adhaesitatione et copulatione corporum individuorum inter se mundum et singulas partes eius effecisse credebantur *a)*. Sequitur *Emanatismus* vel *Gnosticismus*, quo longa geniorum serie demiurgum vel mundi conditorem a numine processisse statuitur, qui spiritu suo rerum vniuersitatem alit fouetque, et singulari luce radione cum summo Deo cohaeret *b)*. In alia abit *Pantheismus* a Spinoza resuscitatus, quo vnā in vniuersum esse substantiam mundumque ad ipsam Dei essentiam pertinere adfirmatur *c)*. Proxime abest *Hylozoismus*, qui aeternam mundi materiem a numine tantum animatam esse sumit *d)*. Neque vel nostris temporibus defuerunt, qui tantas huius doctrinae difficultates philosophando aegerrime superari posse contenderent *e)*.

a) *Diogen. Laert.* lib. X. c. 24. *Lucretius* de rerum natura lib. I. v. 500 sq. *Cicero* de finib. lib. I. c. 6 sq. *Lactantius* de ira diuina c. 9. *Fenelon* de l'existence de Dieu. Amsterdam 1729. tom. I. p. 136 sq. *Meiners* historia doctrinae de vero Deo pag. 522 sq.

b) *Plato* in *Timaco*: *Virgil.* *Aeneid.* VI, 725 sq. ibique *Heynii* excursus XIII. *Irenaeus* aduers. haeres. lib. I. c. 1 sq. *Bud.*

dei theses de atheismo p. 255 sq. *Tiedemann Geist der speculativen Philosophie* tom. III. p. 156 sq. *Buhle Lehrbuch der Geschichte der Philosophie* t. IV. p. 156 sq. *Schelling Weltseele*. Hamburg 1798.

- e) Vid. §. 36. not. a. *Lactant. instit.* II, 5. *Spinoza opera posthuma* 1677. 4. p. 12 sq. *Herder* Gott. pag. 184 sq. *Fenelon* loc. cit. p. 231 sq. *Mendelsohn Morgenstunden* p. 211 sq. *Kant Critik der reinen Vernunft* p. 228. 454.
- d) *Ovid Metamorphos.* lib. I. init. *Fichte Sittenlehre* p. 151 sq. et in contrariam partem *Euseb. praeparat. euangel.* lib. VII. c. 19 sq. *Abbadie* *verité de la relig. chret.* p. I. c. 6. §. 4. *Buddens theses de atheismo* p. 236. *Platner Aphorismen*, Ed. 2. Lipsiae 1793. tom. I. §. 1045.
- e) *Kant Critik der reinen Vernunft: antinom.* I. pag. 548 sq.

§. 58.

I. *Doctrina biblica et ecclesiastica de creatione mundi.*

In longe alia abeunt libri sacri, qui cum *poetice*, opere creationis vel in sex dies (Gen. I, 1-31), vel in tempus indefinitum (Gen. II, 4 sq. Hiob. XXXVIII, 1-7. Ps. CIV, 2-6. Proverb. VIII, 22 sq.) distributo, tum *simpliciter* rerum omnium existentiam a Deo summo vniuersi auctore repetunt (Ps. XXXIII, 6-9. Es. XL, 26. Ierem. X, 12. Nehem. IX, 6. 2 Maccab.

VII, 28. 2 Cor. IV, 6. Hebr. XI, 5). Ex locis hisce profecta est doctrina ecclesiastica: *creationem vniuersi esse actionem munis externam*, qua Deus pater (Ies. XLIV, 24) *omnia per verbum* (Hebr. I, 2. Col. I, 16) *in spiritu sancto* (Ps. XXXIII, 6) *virtute infinita e nihilo* (Rom. IV, 17) *in tempore, hoc est sex diebus ad laudem gloriae suae produxit a)*. Cui sententiae doctores quaestiones admiscuere varias de origine temporis b), de ratione creationis mundi e nihilo c), de anima d), et de sex aetatibus mundi (Hebr. IV, 9) e), diuersa fortuna in scholis agitas.

a) *Melanchthon* loc. theol. p. 334. de creatione.

b) Fuere, qui *initium* (Gen. I, 1. Ioh. I, 1), adeoque tempus creationem antecessisse, mundumque ipsum siue tempore verno (cum *Ioanne Damasceno* lib. II. c. 7), siue autumnali (cum *Silberschlagio* *Geogonie*. Berlin. 1780), conditum fuisse autumarent. Alii contra *Platonem* (*Timaeo* p. 317. ed. Bipont.) et *Philonem* (de opificio mundi ed. *Pfeiffer* tom. I. p. 14.) secuti a mundi primordiis demum temporis initium deriuandum esse putauerunt.

c) "Fecisti coelum et terram non de te, nam esset aequale vnigenito tuo, qui natus est de substantia tua, sed de nihilo." AUGUSTIN. confess. lib. XII. c. 7. *Mosheim* de creatione mundi ex nihilo: additamento ad Cudworthum tom. II. p. 340 sq. *Kaestner* von der Schöpfung aus Nichts.

Götting. 1770. *Heydenreich* de creatione ex nihilo: in s. Originalideen tom. I. conf. Eiusdem *Betrachtungen* über die natürliche Religion tom. II, 170 sq.

d) *Platonis* *Timaeus* I. c. *Lactant.* lib. II. c. 5.

e) *Lactant.* lib. VII. c. 14. *Augustin.* de catechizandis rudibus c. 17.

§. 59.

Epicrisis.

Supersunt enim procul dubio nonnulla curatius adhuc explicanda in doctrina de *nihilo*, de *tempore* et *fine* creationis a). *Nihilum* enim, siue negativum, siue privativum b), non nisi ab intellectu nudo (discursivum vocant) cogitari potest, adeoque e summa numinis mente (§. 39) exulat; quapropter satius est, mundi, qui per se ipsum non existit (2 Maccab. VII, 28. Rom. VI, 17), rationem plenam et aeternam (§. 56) e sola voluntatis divinae vi et potestate repetere c). *Hexaemeron* autem Mosaicum magis *improprie* ad evolutionem et formationem terrae iam creatae, quam *proprie* ad creationem mundi ipsam referendam esse, patet ex origine temporis, creaturis quasi adnexi, aeterna d); ex aetate et indole huius monumenti geneleos antiquissimi e); ex argumento eius poetico et mythico, neque cum numinis

dignitate summa, neque cum reliquis scripturae locis conueniente *f*); et ex liberaliori praesertim N. T. doctrina, lusus pueriles aetatis primaevae tacite repudiante (Ioh. V, 17. Matth. XII, 8. Gal. III, 24. Hebr. VIII, 13). Quare melius esse ducimus, in tanta inprimis geogeniae et historiae naturalis amplificatione nostris diebus facta *g*), absque curiosa modi et temporis mundi creati inuestigatione, in simplici N. T. institutione *de Deo terrae caelique creatore et auctore summo* (Act. XIV, 15 sq. XVII, 24 sq.) adquiescere *h*).

a) Ziegler Kritik der Lehre von der Schöpfung in Henke's (altem) Magazin für Religionsphilosophie tom. II. p. 104 sq.

b) Kant Kritik der reinen Vernunft p. 346 sq.

c) Conf. Plato in Timaeo p. 303. ed. Bipont. Philo de mundi opificio ed. Pfeiffer tom. I. pag. 10 sq.

d) Cum Deus, in cuius aeternitate nulla omnino est mutatio, creator sit temporum et ordinator, *quomodo dicatur post temporum spatia mundum creasse, non video*. Procul dubio mundus non factus est *in tempore*, sed *cum tempore*. AUGUSTIN. *de ciuitate Dei* lib. XI. c. 6. Vide totum locum.

e) Vitringa observat. sacrae tom. I. pag. 29. Eichhorn Einleitung ins A. T. t. II. p. 28 sq.

- f) *Eichhorn* Urgeschichte herausgegeben von Gabler tom. I-III. cum additamento critico. Norimb. 1790-1795. qui liber est princeps. *Ilgen* Urkunden des Jerusalem. Tempelarchivs tom. I. Halle 1798. *Theologie* des A. T. Leipzig 1796. §. 66 sq. *Pott* über den Schöpfungshymnus Gen. I. Berlin 1799. p. 114 sq. m. biblische Theologie tom. I. p. 260 sq. *Kant* physische Geographie. Königsberg 1802. tom. I. pag. 292 sq.
- g) *Kant* physische Geographie. Königsberg 1802. tom. I. p. 230 sq.
- h) Doctrinam de hexaemero apud ipsos Iudaeos symbolicam non fuisse, vide in *Bodenschatzii* kirchliche Verfassung der Juden tom. III. p. 4.

§. 60.

De fine et consilio mundi creati.

Hanc autem tantamque rerum vniuersitatem ita condidit opifex aeternus, vt eam omnium, quae cogitari possunt, optimam esse iure contendamus a). Praefixit enim ei hunc finem supremum, vt bonum summum per gradus communicetur cum creaturis longe plurimis, ita, vt homines praesertim et reliqui spiritus creati e naturae suae imbecillitate identidem emergentes ad maiorem in dies cum numine similitudinem contendant et virtute sempiterna beati aeternum fiant Dei regnum b).

Quae quidem sententia, mox latius persequenda probatur *cum* ex natura Dei, qui optimum cognouit, voluit et vi sua infinita perficere potest; *tum* ex experientiae nostrae, quamvis sat arctis limitibus circumscriptae, testimoniis disertis *c*); *tum* ex ipsis scripturae sacrae oraculis (Gen. I, 31. Sap. I, 14. 1 Tim. IV, 4. Sir. XXXIX, 21). Haec autem iam sufficiunt ad illustrandam quaestionem: vtrum gloriae diuinae promotio (Psalm. XIX, 1 sq. CXXXVIII, 5.) summum creationis consilium adpellari queat *d*)?

a) Τὸ πᾶν ζουερενταίνετο ὅπως ὅτι κάλλιστον ἔη κατὰ Φύσιν, ἄριστον τε ἔργον ἀπειργασμένος. Plato in Timaeo edit. Bipont. tom. IX. p. 305. Leibnitz essai de Theodicée. Amsterdam 1734.

b) Lactant. de vita beata c. 6. quod egregium de fine mundi continet locum.

c) Leibnitz l. c. §. 348. Bonnet contemplation de la nature. Amsterd. 1769. 2 Voll. in 8. Reimarus Abhandlungen über die vornehmsten Wahrheiten der Religion. Ed. 6. Hamburg 1791. 4te Abhandlung. Smellie Philosophie der Naturgeschichte, übersetzt von Zimmermann. Berlin 1792. Th. II. p. 288 sq.

d) Kant Kritik der praktischen Vernunft p. 235 sq. Kritik der Urtheilskraft §. 83 sq.

G

§. 61.

II. *Doctrina de angelis biblica et ecclesiastica cum epicrisi.*a) *De angelis bonis; notio et existentia eorum.*

Post conditam rerum vniuersitatem considerandi veniunt spiritus, homine superiores, numine inferiores, quos in *angelos* et *daemones* dispescit scriptura sacra. *Angelos* spiritus adpellat Dei ministeriales, custodiendis et saluandis hominibus destinatos (Matth. XVIII. Hebr. I, 14); hoc est *naturas sanctas inter diuinitatem humanitatemque medias a*). Probant *existentiam* angelorum *primum* testimoniis librorum sacrorum disertis (Hiob IV, 18. Act. XXIII, 8. Matth. XXII, 30. Ioh. I, 52); *deinde* commercio angelico, ad quod saepius prouocant auctores biblici (Gen. III, 24. XXVIII, 12. Exod. III, 2. Dan. VI, 22. Luc. I, 26. Act. X, 3. XII, 7. Apoc. XIX, 10) *b*); *postremum* argumentis ex immortalitate animi humani et progressu animarum intelligentium ductis *c*).

a) *Henke* lineamenta fidei Christianae §. 49.

b) Conf. *Kant* Religion innerhalb der Gränzen der bloßen Vernunft p. 110.

c) *Reinhard* Predigten im Jahr 1797 gehalten. Sulzbach 1798. p. 352 sq.

§. 62.

Creatio, natura, numerus et classes angelorum.

De *tempore et die creationis angelorum* certant theologi; sunt enim, qui eos cum Origene ante mundum (Hiob. XXXVIII, 6. 7); sunt, qui primo, secundo, quinto *a*), quid quod octauo cosmogeniae Mosaicae die conditos esse docent *b*), argumentis idoneis omnes destituti, quum creatio temporis legibus adstricta non sit (§. 56). Neque magis conueniunt in constituenda angelorum *natura*, quam non spiritualem solum, sed etiam corpoream esse libri sacri tradunt (Ies. VI, 1 sq. Matth. XXVIII, 3. Marc. XVI, 5. Act. I, 10), adstipulantibus ecclesiae primae patribus *c*), et e recentioribus *Cudwortho d*), renuente tamen *Ioanne Damasceno e*), *Buddeo et Moshemio f*). Nobis sententia prior, ubi imaginationis ludibriis liberata fuerit, longe praeferenda esse videtur: corporis enim notionem qualiscunque a spiritu creato seiungere non valemus *g*). In digerendo *numero angelorum*, qui magnus esse perhibetur (Deut. XXXIII, 2. Dan. VII, 10. Matth. XXVI, 53. Apoc. V, 11), Cherubim (Gen. III, 24. Exod. XXV, 17 sq. Ps. XVIII, 11), Seraphim (Ies. II, 2. 6. Apoc. XIV, 6) et archangelorum (1 Thess. IV, 16) *classes*

distinguunt libri sacri *h*); Iudaei decem *i*), Pseudodionysius Areopagita tres et nouem ordines et hierarchias *k*) angelorum numerari posse opinati sunt.

a) Bodenschaz kirchliche Verfassung der Juden tom. III. p. 158.

b) *Ode commentarius de angelis*. Traiecti 1739. 4.

c) Origene, Basilio, Augustino. Vid. *Roesler Bibliothek der Kirchenväter* tom. X. p. 319. *Gruner institut. dogmat.* §. 97.

d) *System. intellect.* c. V. p. 3. §. 16.

e) *Expos. orthod. fid. lib. II.* c. 3.

f) *Buddeus instit. theolog. dogmat.* p. 395 sq.

g) *Θσδς μόνος ἀσύνκριτος*. *Ioh. Damasc.* l. c. *Conf. Henke Magazin für Exegese* t. III. p. 300 sq. VI, 152 sq.

h) *M. bibl. Theologie* tom. I. p. 357 sq.

i) *Bodenschaz* l. c. *Eisenmenger entdecktes Judenthum* tom. II. p. 374 sq.

k) *Ioannes Damascen.* l. c. fin. *Ode* p. 709 sq.

§. 63.

De officio et cultu angelorum.

Officium et munus angelorum absolui docent cum exsequendis mandatis diuinis in vniuersum (Ies. VI, 2 sq. Matth. XVIII, 10. Hebr. I, 14. Luc. I, 26) *a*); tum poenis impietati hominum infligendis (Gen. XIX, 25. Exod. XII, 12. 29. Ies.

XXXVII, 36); *deinde* tuendis singulis regnis et prouinciis (Dan. X, 13. 20. 21); *postea* tutela ecclesiae et piorum (Zachar. III, 7. 1 Cor. XI, 10. 1 Tim. V, 21. Psalm. XXXIV 8); *ultimum* protegendis et custodiendis hominibus singulis a cunis ad mortem vsque (Hiob. XXXIII, 23-28. Psalm. XCI, 11 sq. Tob. III, 25. Matth. XVIII, 10. Luc. XVI, 22) *b*). In hac tamen eaque tanta dignitate constituti Deo et Christo ad dextram numinis exaltato subiecti sunt (Ephes. I, 21. Col. I, 16. Phil. II, 9 sq.); et hanc ob causam neque adoratione et cultu diuino (Col. II, 18. Apoc. XIX, 10), neque innocatione et patrocinii votis precibusque digni existimantur *c*).

a) Ἐν οὐρανῷ διατρέβουσι, καὶ ἐν ἔργον ἔχουσιν, ὑμνεῖν τὸν Θεόν καὶ λειτουργεῖν τῷ Θεῷ αὐτοῦ *Idem* Ioan. Damascen. l. c.

b) *Buddeus* institut. dogmat. p. 406 sq.

c) Concil. Laodic. canon. XXXV. *Articuli Smalcaldici*, de innocatione sanctorum p. 223 sq. *Ode* p. 900 sq.

§. 64.

Recapitulatio doctrinae critica.

Patebit iam ex vberiore huius disciplinae expositione, biblicam de angelis institutionem non vbique premendam et

sensu literali in disciplinam theologicam deriuandam esse. Hoc enim, quo minus rite fieri possit, prohibent imagines a regibus humanis ad aulam quasi caelestem translatae; origo doctrinae simplex, Chaldaicis postea nominibus et incrementis distincta et amplificata; euentus naturales ex sententia Iudaeis communi ad angelorum commercium et ministerium renocati *a*); numinis optimi, non interuentu nuntiorum, sed voluntatis suae vi suprema gubernantis omnia, dignitas; et superstitio perniciosa ab angelorum et geniorum imprimis tutelarium fide aegerime secludenda (Hebr. XIII, 2). Sufficit itaque, tenere, *providentiae diuinae auxilia hac doctrina quasi oculis subiici mortalibus, verum autem cum angelis, qui regionum caelestium limitibus detinentur, commercium post fata demum a nobis sperandum esse* (Luc. XX, 36) *b*).

a) Confer. locum Act. XII, 23 sq. cum *Iosephi Antiquit. Iudaic. lib. XIX. c. 8. § 2. et Eichhornii* commentationem egregiam: *von den Engelsenerscheinungen in der Apostelgeschichte*. Bibliothek der biblischen Literatur tom. III. p. 381 sq.

b) *Semler* institutio ad doctrinam christ. liberaliter discendam p. 399 sq. *Morus* epitome theol. christ. ed. 3. p. 87. *Doederlein* christlicher Religionsunterricht, fortgesetzt von *Junge*. tom. VII. p. 140 sq.

§. 65.

b) *De daemonibus doctrina biblica et ecclesiastica. Notio et existentia diaboli.*

Angeli mali (2 Petr. II, 4) *notionem* ita constituunt libri sacri, vt eum seductorem (Gen. III, 1. Ioh. VIII, 44) et aduersarium hominum, ad forum caeleste olim admissum (Hiob. I, 6. Zach. III, 1-9), deinde mali physici (Hiob. II, 7. 1 Sam. XVI, 14. Matth. XII, 43) et moralis (1 Chron. XXI, 1. coll. 2 Sam. XXIV, 1. Matth. XIII, 25. Ephes. VI, 12 sq.) auctorem, regni daemonici praesulem (Matth. XII, 24 sq.), Deo, filio eius, bonisque hominibus in omnibus oppositum et inimicum esse (Matth. XIII, 39. Ioh. XIII, 2. 1 Petr. V, 3) doceant. Huic angelo tribuunt scientiam magnam, sed erroribus obuolutam (Act. XVI, 17. XIX, 15. Iacob. II, 19); voluntatem pessimam (Ephes. VI, 11 sq.); potentiam humana superiorem, sed virtute Dei ligatam (Ioh. XII, 31. 2 Petr. II, 4) a). Talem autem tamque exsecrandum spiritum non in hominum imaginatione, sed reuera *existere* probant testimoniis librorum sacrorum disertis (Ioh. VIII, 44. Matth. XXV, 41. 2 Tim. II, 26); occupatione energumenorum, qua Christi et apostolorum potestate deturbatus est (Matth. VIII, 27 sq. XII, 22 sq. Act. VIII, 7. XVI, 16 sq.); tristissimisque,

quibus se manifestare pergit, nisi in corpus *b)*, animum tamen hominum effectibus. His argumentis persuasi sententiam eorum reiecerunt doctores ecclesiastici *c)*, qui regnum diabolicum nullibi, nisi in morali hominum peruersitate quaerendum esse contenderunt (Act. XXIII, 8) *d)*.

a) *Ioannes* Damascenus lib. II. c. 4. de diabolo et daemonibus.

b) Corpora hominum agitari posse vi diabolica, non patribus solum ecclesiae, sed ipsi *Luthero* persuasum erat. Vide locum, qui instar est omnium: *Opp.* ed. *Walch*, tom. I. pag. 1718 sq.

c) Vide post *Calonium*, *Quenstedtium*, *Baierum*, *Seilarum* theol. dogmatica. Erlang. 1789. ed. 3. p. 191 sq. et *Storrium* doctrinae christianae parte theoretica. Stuttgart, 1793. pag. 158 sq.

d) Post Aristotelicos nimirum *Hobbes* (*Leuiathan* c. 8.), *Cartesius*, *Bekker* (betoverde Wereld. Leewarden 1690, sq. 8.) *Thomasius* et alii. Vid. *Walch* Geschichte der Religions-Streitigkeiten aufser der Lutherschen Kirche tom. III. p. 930 sq.

§. 66.

De origine, lapsu, domicilio et sorte diaboli.

Neque tamen diabolus cum *Mane a)* originis expertem, sed a Deo cum reliquis angelis bonis creatum (2 Petr. II, 4. Iud. 6), postea adrogantia, rebellione

siue voluptatibus inquinatum, *lapsum* et de sedibus caelestibus a numine praecipitem datum esse docent *b*). *Habitat* enim in aëre (Ephes. II, 2. VI, 12), in locis desertis (Matth. XII, 43), in orco (2 Petr. II, 4), ita tamen, vt forma indutus qualicunque (2 Cor. XI, 14) *c*), in terram interdum escendat, mundi imperium affectet (Ioh. XIV, 30. Eph. II, 2), regno Christi ad tempus aduersetur (1 Ioh. II, 18. Apoc. XX, 7), hominesque identidem ad malum pelliciat (1 Cor. V, 5. VII, 5. 2 Thess. II, 9). Has autem illecebras pietate et precibus tanto magis superare debent (1 Cor. VII, 5. Iac. IV, 7. 1 Ioh. II, 13 sq. 1 Petr. V, 8) *d*), quanto arctioribus olim limitibus circumscribetur regnum Satanae, quem die iudicii reprobatio sempiterna flammaeque aeternum voraces expectant (Matth. XXV, 41. Apoc. XX, 10).

a) Epiphanius haeres. 46, vel 66. tot. Mosheim de rebus Christianorum ante Constantinum M. p. 788 sq.

b) Cyprianus aduers. Marcionem c. 10. Augustinus de vera religione c. 13. Lactant. institut. lib. II. c. 14.

c) Μετασχηματίζονται οἱ δαίμονες εἰς οἶον θελοῦσι σχῆμα κατὰ φαντασίαν. Ioannes Damascen. 1, c.

d) Morus epitome theol. christ. ed. 3. p. 92. fin.

§. 67.

Recapitulatio doctrinae critica.

Quae quidem omnia, quamuis in theologia historica et positiua haud sine comodo proponantur, habent tamen nonnulla, quae ad subtilitatem scholae exacta, acutioribus non ex omni parte satisfaciant. *Primum* enim spiritus omnis boni expers, se ipsum destruit, adeoque existere nequit; *deinde* bonitati numinis aduersari videtur, creare angelos in omne aeuum peccaturos aeternoque supplicio destinatos; *accedit* mali physici et moralis origo e causis naturalibus sine omni dubitatione repetenda; *adde* Iudaica de diabolo commenta dualismum sapere, in libros V. T. apocryphos ipsosque N. T. canonicos deriuatum, religioni puriori autem quam maxime perniciosum; *postremum* saluatorem ex opinione vulgi de diabolo verba facientem (Luc. X, 18. Matth. XII, 43 sq.) ita tractare hanc doctrinam, vt superstitioni de daemonibus finem imponat perpetuum (Ioh. XII, 31. 1 Ioh. III, 8). Quaecum ita sunt, *acquiescamus non tam in existentia et factis, quam notione Satanae, hoc nimirum consilio, vt opposcentes eam filii diuini virtuti et gloriae, regni diabolici, quod in hominum mentibus viget*

(Ephes. II, 2), *potestatem in dies magis infringamus.*

Confer. post Semleri, Henkii, Eckermanni, Niemeieri aliorumque scripta: Schmid über christliche Religion, ihre Beschaffenheit und zweckmäßige Behandlung p. 330 sq. m. bibli-sche Theologie tom. I. p. 367 sq.

§. 68.

III. *Doctrina de hominibus primum creatis et domicilio eorum biblica.*

Neque tamen mundum ab angelis solum, sed hunc inprimis planetam nostrum ab hominibus habitari voluit numen optimum. Creauit itaque primum hominem marem e terra formatum (Gen. I, 26. II, 7 sq.), deinde feminam e costa eius decerptam (Gen. II, 21. 1 Cor. XI, 8); vtrique regionem amoenam et fertilem pro domicilio adsignauit (Gen. II, 8 sq.) et ab hoc stipite communi vniuersum genus humanum originem suam deriuare voluit (Gen. I, 28 sq. Tob. VIII, 8. Act. XVII, 26) a). Negari vix potest, haec Mosaica generis humani primordia in varias nos induere difficultates, cum propter similes aliarum gentium anthropogoniam mythicam b); tum propter turbatas et incertas rationes temporum in omni historia antiqua c). Accedunt hariolationes interpretum de domicilio ho-

minum, primaeuo *d*), et historicorum lites, de deductione coloniarum in partes terrae australes et occidentales *e*); quibus varietatem generis humani nativam, ceu novum adhuc disserendi fomitem, addiderunt *f*). Neque tamen desunt argumenta, quibus hisce dubitationibus occurrere queat, quamvis omnia plane ad liquidum constituere rationibus multis prohibeamur *g*).

- a*) Non tamen *animas ipsas*, quarum serenarum ratio Deo soli subiacet. Certaverunt olim theologi, vtrum animae *ante* corporis *formationem* existant (*πρὸνάρτησις*); an per *traducem* propagentur; siue in ipso conceptionis momento a numine *creentur*? Conf. *Lactantius* de opificio Dei c. 17-19. qui locus princeps est: *Augustinus* de libero arbitrio lib. III. c. 21 sq. *Thomasius* tractatione physica de origine animae humanae. Halae 1725. *Leibnitius* oper. tom. II. pag. 66. *Gruner* institut. theolog. dogmat. p. 184 sq. *Eisenmenger* entdecktes Judenthum tom. I. p. 472 sq. *Leß* praktische Dogmatik §. 86. *Doederlein* christlicher Religionsunterricht, fortgesetzt von *Junge* t. VIII. p. 71 sq. *Euanescunt* difficultates omnes, si creationis notionem (§. 56.) rite ceperis.
- b*) *Diodor*. Sicul. lib. I. c. 7. *Plato* in *Timaeo* ed *Bipont*. Vol. IX. p. 332 sq. *Sympos*. Vol. X. p. 201 sq. *Lucret*. de rerum natura lib. II. p. 332 sq. *Ovid*. metamorphos. lib. I. v. 76 sq.

c) *Buddei theses de atheismo* p. 442 sq. *Gatterer Versuch einer allgemeinen Weltgeschichte*. Götting. 1792. p. 2. *Schölzers Weltgeschichte* tom. I. p. 32.

d) *M. biblische Theologie* tom. I. p. 293 sq.

e) Vid. *Isaac Peyrère Praeadamitae vel exercitatio exegetica in Rom. V, 12 sq.* 1655. in 4. et auctores *Peyrère priorés a Calovio excitatos system. theol. t. III.* p. 1041. *Grotii dissertatio de origine gentium Americanarum* ed. Ioh. de Laët. Amstelodami 1645. *Steller Beschreib. von Kamtschatka*. Francof. 1774. pag. 251 sq. *Meiners und Spittler histor. Magazin* tom. III. p. 193 sq. *La Peyrouse voyage autour du monde*. Paris 1798. in 8. tom. III. p. 277 sq. *Cook erste Reise um die Welt: in der Geschichte der Seereisen*. Berlin b. Spener 1774. in 4. B. III. p. 390 sq.

f) *Blumenbach de varietate generis humani nativae*. Gottingae 1795. ed. 3. p. 305 sq. *Girtanner über das kantische Princip der Naturgeschichte* p. 57 sq.

g) Vid. *autores nat. e. et f. excitatos. Kant physische Geographie*. Königsberg 1802. tom. II. pag. 1 sq.

§. 69.

Doctrina biblica et ecclesiastica de imagine divina.

Hos autem humani generis parentes ad imaginem Dei creatos esse docent libri sacri (Gen. I, 26), os hominis sublime, erectos vultus (Exod. XXXIII, 20. 1 Cor.

XI, 7) *a*) et imperium in res creatas (Gen. I, 26. Psalm. VIII, 7-9) hac voce designantes. Hanc numinis imaginem etiamnum possidere et tueri mortales dubitatione caret (Gen. V, 1-3. Psalm. VIII, 6. Iacob. III, 9). Post reditum vero ex exilio Babylonico, discrimine inter Adamum primum et secundum facto (1 Cor. XV, 47) *b*), imagini numinis primae etiam corporis immortalitatem (Gen. II, 17. Sap. II, 23) mentemque iustam et sanctam (Col. III, 10. Ephes. IV, 22-24) insitam fuisse volunt auctores sacri *c*). Quapropter in ecclesia docuerunt: *imaginem diuinam conformitatem cum numine protoplastis concreatam quidem, non tamen perfectionem animi essentialem d*) fuisse, sed accidentalem. Partes huius imaginis principes fuisse scientiam Dei concreatam, sanctitatem voluntatis eximiam, appetitus sensitiui puritatem; minus principes autem immunitatem a calamitatibus vitae (Gen. III, 16. Sir. XXXVIII, 15), corporis immortalitatem (Gen. II, 17. Rom. V, 18), et imperium in res creatas. Plurimas huius imaginis partes post lapsum perditas esse adeoque fide et virtute renouari debere (Ephes. IV, 24. Col. III, 10) *e*).

a) Plato in Timæo (p. 332), caput membrum adpellat *θεϊότατον καὶ τῶν πάντων*

ἐν ἡμῖν δεσποτοῦν. Ouidio (metam. I, 82.) effigies Deorum fuere erecti ad sidera vultus. Cicero de nat. D. I, 27. "quid igitur mirum, si hoc eodem modo natura homini praescripsit, ut nihil pulchrius quam hominem putaret, eam esse causam, cur deos hominum similes putaremus?" Sed ante omnia conferendus est Lactantius de opific. Dei c. 8. de ira diuina c. 2 et 7.

- b) Vide quae obseruauimus in nouis opusculis theolog. Gottingae 1803. in commentatione de vestigiis theologiae Iudaicae in epistola Pauli ad Romanos.
- c) M. biblische Theologie tom. I. p. 285 sq.
- d) Contra Flacium: vid. LL. SS. pag. 639. Planck Geschichte des protestantischen Lehrbegriffs tom. IV. p. 600 sq.
- e) Ioannes Damascenus lib. II. c. 12. Apologia confessionis de peccato originali p. 53 sq. Calou. system. tom. IV. p. 569 sq.

§. 70.

Epicrisis sententiarum.

Qua quidem in doctrina quamuis clarum sit hoc, homines primaeuos ab erroris et peccati labe alienos terram nostram ingressos esse, nonnulla tamen magna obscuritate et ambiguitate laborare videntur. Scientia enim Dei vitaeque sanctitas *concreata* non solum sibi repugnant; sed humanae etiam naturae conditio, qua doloribus ipsique adeo

morti exposita est (2 Cor. IV, 18), inter beneficia magis, quam poenas a prouidentia hominibus inflictas, referri debet *a*). Rectius itaque contendimus, imaginem diuinam in indole hominum primaeuorum rationali, libera eorum cogitandi, volendi, et ad verum bonumque progrediendi facultate, immortalitatis fonte, sitam fuisse. Haec autem indoles, quemadmodum reliquae facultates sentiendi, loquendi (Gen. II, 19) *b*), viresque vitales et technicae, experiundo, cogitando, iudicando, audendo, abstinendoque excoli et ad perfectionem euehi debebant. Errando enim aequae ac peccando ad veritatem et virtutem non perueniendum est (Rom. III, 8), sed peruenitur.

- a*) Vide quae post *Vitrinam* egregie hac de re disseruit *Iunge* in libro: *Doederleins christlicher Religionsunterricht* tom. VIII. pag. 40 sq.
- b*) *Ierusalem Betrachtungen* tom. II. p. 108 sq. *Rousseau* sur l'origine des langues ch. 2. (oeuvres ed. de Deuxponts tom. XVI. p. 160 sq.) *Herder* Ideen zur Philosophie der Menschheit tom. I. p. 227 sq.

§. 71.

Doctrina biblica et ecclesiastica de origine peccati.

Homines primaeui saltem, praeuentibus libris sacris, eo primam diuinam

imagini adpersere labem, vt praeceptum numinis de vitando arboris vetitae fructu migrarent, et calamitatibus licet multis ipsoque mortis timore correpti peccandi tamen habitum contraherent (Gen. II, 17 sq. III. tot. conf. Matth. XIII, 24. Ioh. VIII, 44). Contendunt nimirum doctores ecclesiastici, causam peccati tum in auersione protoplastorum a deo, tum in Satanae seductione (Gen. III, 1. Sap. II, 24. 2 Cor. IX, 3) quaerendam esse; homines primaeuos propter hoc peccatum imagine diuina priuatos, pudoris, timoris (Gen. III, 7 sq.), laborum, dolorum et mortis corporis animique poenas (ib. V. Rom. V, 12. 13. 19) meruisse; idemque peccatum Adamiticum etiam posteris ratione culpaе (Rom. V, 19) et poenae (18) imputari.

Augustan. confess. art. XX. de causa peccati. Melanchthon loc. theolog. de causa peccati et de contingentia p. 340 sq. Calou. system. II, 344 sq. Whitby de imputatione peccati Adamitici. London 1711. Hermann Witsius oeconomia foederis Dei cum hominibus lib. I. c. 2. Seiler vom Versöhnungstode tom. II. p. 153 sq.

§. 72.

Epierisis doctrinae.

Negari nequit, hanc narrationem Mo-
saicam simplicitate sua longe superare

H

alias traditiones, quibus orbis antiqui vates originem mali explicare conati sunt *a*). Ambigimus tamen vel in hac adumbratione de arbore vitae et discriminis boni malique; de legis diuinæ (Gen. II, 17. coll. III, 22) ratione idonea; de serpente callide verba miscente poenae diuina correpto; quae alias omnia ab historico dicendi genere aliena esse solent *b*). Adde labores, dolores partus, ipsamque mortem, nisi peccati conscientia antecesserit, non inter poenas, sed mala necessaria, eaque vtilia referenda esse; imaginem diuinam non vno peccato, sed scelere continuo amitti potuisse; lapsum Adamiticum autem ad posteros non spectare, quia meritum et culpa in ordine rerum morali personae limites haud excedunt. Acquiescimus itaque in hac sententia: homines primaeuos, dum contra legem diuinam cupiditati obtemperauerunt, initium fecisse peccandi; peccatum breui interuallo mala externa et interna poenae loco secuta esse; numinis sanctitatem autem, quamuis abhorreat a peccato, aberrationem a lege tamen propterea praenuenire noluisse, ne intercepta hominis libertate ipsam virtutem praemio suo priuaret *c*).

a) *Zendavesta* im kleinen v. Kleuker tom. II. p. 113 sq. *Beausobre* histoire du Mani-

cheisme tom. II, 457. *Hesiodi* opp. et dies v. 59 sq. *Pallas* Reisen durch Rußland (Fall des Lama) tom. I. p. 336.

- b) *Gablers* Urgeschichte tom. II. introd. m. biblische Theologie tom. I. p. 292 sq. Iam *Augustinus* monuerat, argumentum tertii *geneseos* capitis esse *figuratum et aenigmaticum*, et sine *blasphemia vix secundum literam explicari posse*. Vide de *genesi* contra *Manichaeos* lib. II, c. 1 et 2.
- c) Nisi prius malum cognouerimus, nec bonum poterimus agnoscere. *Lactant.* de ira diu. c. 13. Conferantur *Stoicorum* de origine mali philosophumena apud *Gellium* N. A. lib. VI, 1. *Meiners* historia doctrinae de vno vero Deo p. 490 sq.

§. 73.

Doctrina biblica et ecclesiastica de infirmitate hominum morali.

Neque tamen homines primaeuos tantum, sed posteros etiam eorum omnes imbecillitate simili infectos et ad malum procliuēs esse docent libri sacri (*Gen.* VIII, 21. *Hiob.* IV, 17 sq. *Prov.* XX, 9. *Eccles.* VII, 20. *Psalm.* XIV, 1-3. *Matth.* XV, 19. *Ioh.* III, 6), adeo, vt vi peccati vel inuiti abripiantur (*Rom.* III, 23 sq. VII, 15-19. *Gal.* V, 17) temereque sibi innocentiae persuasionem induant (*Ioh.* I, 6) a). Carentiam iustitiae originalis appellānt doctores ecclesiastici, qua sine metu Dei, sine fiducia erga Deum, cum

concupiscentia, quae vere peccatum est, nati, et libertate spirituali destituti verum timorem, amorem et fiduciam erga Deum efficere nequeunt, et nunc quoque aeternam mortem merentur, nisi per baptismum et spiritum sanctum renascantur, quo reatus peccati originalis tollitur, quamvis materiale peccati, videlicet concupiscentia vel in emendatis remaneat b).

a) M. biblische Theologie tom. I. p. 320.

b) *August. confess. art. II. et XVIII. Apolog. confess. art. I. tot. Artic. Smalcaldici p. 317 sq. Melancthon de peccato originis in locc. theol. p. 360 sq.*

§. 74.

Iudicium de hac doctrina.

Vtut autem facile concesseris, a peccati illecebris neminem non vinci a), dubitaueris tamen, carentiam iustitiae originalis ipsamque concupiscentiam iure vocari peccatum; hominem naturalem arbitrio libero in spiritualibus destitui b) mortisque aeternae poenae subesse; sola-que vi baptismi reatum peccati tolli posse c). Homo enim, qui facultatibus nudis instructus nascitur, natura nec bonus nec malus adpellari potest; inginitas sibi habet vires ad bonum plurimas, ad malum nullas; animusque eius ipse ita paratus est, vt, si deliquerit

etiam voluntas, malum tamen non nisi sub specie boni adpetere queat d). Suspicis itaque, mali moralis, quod dissimulari nequit, originem neque in haereditate quadam, neque in sensibus et ratione hominis, sed in cogitationum alternatione, in imaginatione, et inertia mentis humanae quaerendam esse, ita quidem, vt reliquae causae peccati externae haud secludantur. Diuinae saltem providentiae sanctitas in societatem huius mali venire nullo modo potest, cum propter arctos limites, quibus peccandi licentiam circumscribit; tum propter naturam hominis finitam, quae a tenui initio morali progrediens non nisi sensim e cupiditatum imperio ad veram spirituum libertatem et virtutem emergere potest (1 Ioh. III, 2).

a) Loca auctorum veterum collegit *Pfanner* systemate theol. gentilis purioris c. 9. sq. *Niemeier* Briefe an christliche Religionslehrer tom. III. pag. 105 sq.

b) Arbitrium eligendi bonum *Iustinus M.* (apol. 1), *Tertullianus* (de exhortat. castit. c. 2.) et ipse *Augustinus* (op. imperf. contra Iulian. I, 94. de gratia contra Pelag. c. 18.) homini post lapsum superesse fatentur: confer. et *Ioannem* Damascenum lib. II c. 27. Nimium intendit arcum *Lutherus* de arbitrio seruo. Vitebergae 1526. dum in alia abiit *Melanchthon* locc. theol. p. 347 sq.

c) *Jerusalem Betrachtungen* tom. II. p. 488 sq.
Eberhard Apologie des Socrates tom. II.
 p. 339, *Steinbart System der reinen Phi-*
losophie des Christenthums. Züllichau
 1786. p. 23 sq

d) *M. religiöse Moral.* Gött. 1800. p. 153 sq.

§. 75.

*Doctrina ecclesiastica de propagatione peccati
 Adamitici.*

Ne autem tanta, quam deplorant doctores, naturae humanae corruptio, origine quadam careat, prouocant ad nonnulla scripturae sacrae loca (Hiob. XIV, 4. Psalm. LI, 7. Ioh. III, 6. Rom. V, 12. Ephes. II, 3. 1 Cor. XV, 21 sq.), quibus peccati Adamitici, quasi leprae spiritualis, contagium natiuitate contrahi et gignendo propagari, probare conantur, infantes adeo recens natos, nisi Christi beneficio saluentur, morti et damnationi ceu mancipia vindicaturi a). Aduersarii contra monuerunt b), hanc doctrinam, si a Paulinis forte allegoriis discesseris, fundamento biblico carere c), a dualismo patrum ecclesiae Africanae fontem ducere d), materialismum in sinu fouere et naturae humanae omnem dignitatem suam iniuria summa detrahere e). Sufficit itaque tenere, peccati proprie sic dicti cuiusuis originem, non a temporis

legibus, sed a libero hominis decreto repetendam esse; peccati fomitem autem, qui in concupiscentia et corporis natura latet, a maioribus, longa, si placet, naturae serie derivari posse.

- a) *Solida declaratio* p. 639 sq. conf. *Calvini* institut. p. 79 sq.
- b) *Socinus* praelection. theol. fol. 14.
- c) *M. biblische Theologie* tom. I. p. 326 sq.
- d) *Tertullian.* de anima c. 41. *Cyprian.* epist. 64. *Augustin.* de natura et gratia c. 9. opus imperf. contra Iulian. lib. VI. c. 22.
- e) *Niemeier* populäre und praktische Theologie: ed. 4ta. pag. 177 sq. *Henke* lineamenta fidei christ. ed. 2. §. 84 sq.

SECTIO II.
DE
GVBERNATIONE MVNDI.

§. 76.

De providentia in vniuersum.

Creatio mundi, quum actus numinis sit aeternus, inuoluit simul *providentiam*, vel gubernationem mundi diuinam, consilio creatoris (§. 60.) consentaneam *a*). Secludimus autem hac doctrina tum casum fortuitum, quo sine ratione omnia regi *b*), tum caecam necessitatem, qua ordine ineuitabili omnia colligari voluerunt *c*). Operae pretium sit, distinguere in hac doctrina longe grauissima sententias *auctorum sacrorum, doctorum ecclesiae, nostramque tractationem*, qua in naturalis etiam theologiae campum exspatiari volupe erit.

a) Πρόνοια ἐστὶν ἐν Θεῷ εἰς τὰ ὄντα γινομένη ἐπιμέλεια. *Nemesius de natura hominis* c. 43.

b) Conf. *Ecclesiast.* IX, 11 sq. *Ioseph. Bell.* Iud. lib. II. c. 7, *Plin.* H. N. II, 5. Egrege monet *Augustinus*: video hoc in pessima consuetudine habere homines, ut ubi dicere deberent, hoc Deus voluit, dicant, hoc fortuna voluit, *Lib. retract.* I. c. 1.

- e) Cicero de natura Deor. lib. I. c. 15. Antonin. ad se ipsum lib. VII. §. 9. Ioseph. Bell. Jud. lib. II. c. 7. Seneca de prouidentia. Discrimen enim poni debet inter Stoicos veteres et recentiores.

§. 77.

Doctrina biblica de prouidentia.

Deum in vniuersum praeesse mundi vicissitudinibus, in libris V. T. diserte docetur (Psalm. XXXVII, 5. XCI, 1-7. CIV, 13-15. Ecclesiast. III, 14). Mandato eius in specie subesse dicuntur tonitrua (Hiob. XXXVII, 2-7. Psalm. XVIII, 8 sq. XXIX, 3), fulgura (Hiob. XXXVI, 31 sq.), hiems et procellae (Hiob. XXXVII, 6. Ion. I, 4); bona vitae quaevis (Psalm. CIV, 13 sq. Gen. XXVII, 20), quid quod mors et mala omnia ad nutum eius eueniunt (1 Sam. V, 9 sq. 2 Sam. XXIV, 15. Amos III, 6. Exod. IV, 21. VII, 3. Ies. VI, 10). Ante omnia inuigilat numen sorti hominum (Hiob. X, 9-12. XXXIII, 4 sq. Psalm. CXXXIX, 15 sq.), inde a teneris ad mortem vsque (Psalm. XC, 3. CIV, 29 sq.); bona externa quaeuis praemii (Psalm. XXXVII, 25. Prov. III, 2. 10), mala externa quaeuis poenae loco habentur (Hiob. XI, 15 sq. XV, 23. 32 sq.). Dissimulari nequit, in his locis fere omnibus prouidentiam divinam non seriem vicissitudinum mundi

continuum unitate sapientissimi intellectus devincere, sed euentus singulos more humano curare; puriores tamen sententias iam suppeditant libri N. T. (Matth. V, 45. VI, 26-33. X, 29. Actor. XIV, 17. XVII, 26-28. 1 Petr. V, 8), qui ordinem rerum visibilem et naturalem, cum morali et inuisibili tenore continuo necti, summo consensu docent (Luc. XVII, 20. XXIII, 46. Rom. VIII, 38 sq. 2 Tim. IV, 18).

Theologie des A. T. Leipzig 1796. p. 147 sq.
m. *biblische Theologie* lib. I. p. 340 sq.

§. 78.

Doctrina ecclesiastica de prouidentia.

His fundamentis innisi docuerunt in ecclesia, prouidentiam, vel actionem divinam, qua mundum Deus sapienter ad laudem gloriae suae conseruat et gubernat, constare praescientia, proposito et gubernatione, adeoque diuidi in conseruantem (conditricem) concurrentem (directricem) et gubernantem. Conseruatio, (Ps. CIV, 28 sq. Hebr. I, 3) est actio numinis externa, qua omnia, quae sunt, ad gloriam suam sustentat; eaque vel vniuersalis, vel specialis, vel specialissima. Concursus est coorporatio Dei in iis, quae fiunt ab animalibus et hominibus; et diuiditur in physicum et moralem (Ies. XLV, 5-7). Gu-

bernatio denique est actus prouidentiae diuinae, quo omnia sapienter moderatur et ad fines suos dirigit. Prohucant ad arguendam doctrinae veritatem cum ad argumentum physicum ex natura rerum petitur; tum ad historicum, ex nexu euentorum finali deriuatum; tum ad morale, theologicum et biblicum, e conscientia, sapientia numinis et oraculis diuinis adstruendum.

Ioannes Damascenus expos. fid. orthod. lib. II. c. 29. *Catou.* system. theol. tom. III. p. 1127 sq. Conf. regula Leibnitii: *Deus concurrit ad omnia quatenus actionibus inest aliquid perfectionis.* Opp. ed. Dutens tom. I. p. 474. Theodic. §. 3 sq.

§. 79.

Noua hanc doctrinam tractandi ratio.

Quae quidem omnia quamuis satis probabiliter proponantur, hoc tamen laborare videntur incommodo, vt ea, quae iam in creationis doctrina (§. 56) occupata erant, quasi noua in conseruationis et concursus euolutione repetantur *a*). Acquiescimus itaque in sola gubernationis mundi expositione, eamque sapientissimam vniuersi administrationem, summo creationis consilio consentaneam esse, contendimus. Probamus sententiam nostram primum ex sapienti numinis natura (§. 38): etenim si Deus est, vtique proui-

dens est, nec aliter diuinitas ei potest attribui, nisi et praeterita teneat, et praesentia sciat, et futura prospiciat b) (Psalm. XXXVII, 5. CXI, 3. 1 Petr. V, 8); quare oleum et operam perdidere semper, qui in demonstranda numinis prouidentia ab hoc argumento discesserunt c). *Alteram* rationem ducimus e contemplatione mundi teleologica, quem ad felicitatem, virtutem, summique boni e numine deriuandi originem et progressum egregie instructum esse probatum inus (Hiob. X, 3 – 12. Ps. XCIV, 9. CXXXIX, 13) d).

- a) *Doederleins* christl. Religionsunterricht, fortgesetzt von *Junge* t. VIII. p. 95 sq.
- b) *Lactant.* de ira diuina c. 9.
- c) *Bayle* dictionnaire histor. et critique, voc. *Manichéens, Marcionites, Pauliciens*: *Kant* über das Mißlingen aller philosophischen Versuche in der Theodicee, in den vermischten Schriften. ed. Halle. t. III. p. 145 sq. *Iakob* vermischte philosophische Schriften. Halle 1797. p. 257 sq.
- d) *Τίς γὰρ ἐξαρτῆι λόγος, ὁμοίως ἐπαινέσαι ἢ παραστῆσαι τὰ ἔργα τῆς προνοίας*; *Arrian.* dissertatt. in Epictet. lib. I. c. 16. *Kant* Kritik der Urtheilskraft p. 284 sq. *Iakob* die Lehre von den Zwecken, in s. vermischten philosophischen Abhandlungen. Halle 1797. p. 1 sq. *Reimarus* von den göttlichen Absichten in der Welt, in s. Abhandlungen von den vornehmsten Wahrheiten der natürlichen Religion. Hamburg 1791. p. 181 sq.

§. 30.

I. *De mundo ad felicitatem in vniuersum
egregie instructo.*

Contendimus autem *primum*, mundum a numine ad *felicitatem quamplurimorum*, qui viuunt et cogitant, *egregie esse instructum a)*. Testes habemus terrae, marium, caeli structuram mirabilem; solem, lucis vitaeque fontem; lunae et astrorum cursus ratos et immutabiles; temporum certas vicissitudines; nubium, ventorum, tonitruum vim et efficien-
tiam *b)*. Adde eorum, qui in hac rerum vniuersitate viuunt, sentiunt, cogitant et rationis dono caelesti fruuntur, multitudinem et varietatem incredibilem; florum, herbarum, arborum, frugum immensitatem; fontium liquores, laetam alimentorum fruitionem, sensuum voluptates omnium; diuitiarum, artium, honoris, amicitiae, amoris, veritatis rectaeque conscientiae illecebras et gaudia perennia. Considera adhuc sapientiam, qua alma haec naturae dona, tum statis diebus temporibusque dimetata, tum singulis regnis, prouinciis, gentibus, quid quod creaturis singulis dispensata vides, et manibus quasi contrectabis benefactorem inuisibilem (Act. XVII, 27), qui omnia gaudiis replet (Ps. XXXVI, 9. Act. XIV, 17) *c)*.

- a) *Cicero* de nat. Deor. lib. II. c. 37 sq. *Lactantius* de opificio Dei tot. *Nemesius* de natura hominis c. 42. *Theodoretus* de providentia sermones decem, opp. ed. Schulz. tom IV. p. 500 sq.
- b) *Whiston* astronomical principles of religion natural and reveal'd. London 1717. *Derham* theologie astronomique. Paris 1729. *Ahlwardts* Brontotheologie. Greifswald 1746. *Bode* Kenntniss des gestirnten Himmels ed. recent. Berolin. 1800. *Kant* physische Geographie tom. I. tot. Königsberg 1802.
- c) *Fenelon* démonstration de l'existence de Dieu. Amsterdam 1729. tom. I. p. 11 sq. *Sander* von der Güte und Weisheit Gottes in der Natur. Carlsruhe 1778. *Less* Geschichte der Religion. Göttingen 1786. pag. 11 sq. *Jakob* allgemeine Religion. Halle 1797. p. 421 sq.

§. 81.

In specie ratione metallorum, plantarum, animalium.

Eandem providentiam loquuntur metallorum fodinae, lapidum varietas et utilitas, montium altitudo, fluuiorum caelitus in orbem redeuntium perennitas, fontium salubritas, ferri copia et auri raritas a). In plantis animaduerte sexus utriusque commercium mirabile, arborum et fruticum utilitatem, et plantarum domesticarum indolem, cuius fere caeli temperiei aptam et cum ea conue-

nientem b). In bestiis autem quantus numerus, quanta ratio ad conseruationem generis, quanta instinctuum naturae vis, quanta indolis varietas, quanta volucrum, insectorum, piscium, testaceorum multitudo, venustas, in sequendis vitae commodis, fugiendisque incommodis prudentia c)! Quae omnia si attento animo considerentur, vel pertinacissimam incredulitatem superare et ad summas prouidentiae laudes excitare debent (Psalm. CXLV, 15 sq. Hiob. XXXIX. tot.).

a) *Derham* theologie physique. Amsterdam 1730. tom. I. p. 90 sq. *Lessers* Lithotheologie. Hamburg 1735. *Wallerii* Hydrologie. Berlin 1751.

b) *Linne* sponsalia plantarum in amoenitate. academ. tom. I. p. 327. ed. Holm. *Sprengel* entdecktes Geheimniß der Natur in dem Baue und in der Befruchtung der Blumen 1795. *Girtanner* über das Kantische Princip der Naturgeschichte. Göttingen 1796. p. 384 sq.

c) *Cicero* nat. D. II, 51. *Lessers* Testaceotheologie. Lips. 1744. *Dessen* Insectentheologie. Leipzig 1758. *Richters* Ichthyotheologie. Lipsiae 1745. *Zorn* Peti-notheologie. Pappenheim 1742. *Smellie* Philosophie der Naturgeschichte von Zimmermann. Berlin 1791. tom. II. *Iakob* allgemeine Religion p. 219 sq. *Reimarus* von den Kunsttrieben der Thiere. Ed. 4. Hamburg 1798.

§. 32.

Inprimis ratione hominis.

Quantopere autem homini prouisum sit a numine, testatur omnis natura eius et perfectio. Neque enim sufficit, eum celsum et erectum constitutum esse, quasi spectatorem rerum caelestium; antecellit etiam bestiis sensuum acumine, oculorum laeto honore, vultus venustate et varietate admirabili, usu sermonis, ratione, consilio, prudentia, qua flumina arcet, ventos et maria moderatur, brutis imperat et media in rerum natura alteram quasi naturam efficere conatur *a*). Adde aequales sexus vtriusque rationes *b*); sapientiam, qua humanum genus, vel in regionibus et insulis desertis alitur et fouetur *c*); indolis, ingeniorum, curarum, laborum varietatem, qua in communes societatis fines colligatur; natu-
torum et morientium per omnes aetatis humanae gradus proportionem; et in oculos incurret tibi, nostram naturam inprimis a numine perfici atque sustentari *d*).

a) Cicero nat. D. II, 54 sq. *Lactantius* l. c. *Iakob* allgemeine Religion p. 344 sq.

b) *Nieuwentyts* rechter Gebrauch der Weltbetrachtung zur Erkenntniß der Macht, Weisheit und Güte Gottes, übersetzt von *Segner*. Jena 1747. p. 210 sq. *Süß-*

milch göttliche Ordnung in der Veränderung des menschlichen Geschlechts aus der Geburt, dem Tode und der Fortpflanzung desselben Ed. 4. Berlin 1775 tom. 3. in 8. Eandem sexuum aequalitatem in oriente etiamnum obtinere nuperrime ostendit *Olivier* in libro: voyage dans l'empire Othoman. Paris a. IX. ch. XI.

c) Tum piscibus, stato tempore oras adnatis (Cranz Historie von Grönland p. 122 sq.); tum lignis a fluctibus adlatis (Treibholz). Vid. *Cranz* l. c pag 50 sq. *Gmelin* Reise durch Sibirien tom. II. p. 415/sq. *Kant* zum ewigen Frieden p. 56. Eundem vix probabiliter se retractantem in libro: physische Geographie. ed. *Rink* tom. I. p. 139 sq.

d) Dignae sunt etiam, quae hic examinentur naturae indagatorum sententiae de ossibus fossilibus monstrorum terrestrium (Mammuts-Knochen): vid. *Gmelin* l. c. III, 146. *Esper* Zolühen. Nürnberg 1774. p. 90 sq. *Kant* Critik der Urtheilskraft §. 82. *Blumenbach* Abbildung naturhistorischer Gegenstände tab. XIX.

§. 83.

II. De mundo ad perfectionem hominum moralem egregie instructo. Liberi arbitrii praestantia.

Neque tamen sensuum illecebrae felicitatis purioris sitim menti humanae insitam explere possunt; nostrae ipsorummet bonitatis, recto libertatis vsu parandae, conscientia frui debemus. Hunc in

finem instructi sumus libera, nisi sentiendi, cogitandi tamen et volendi facultate, quae a tenui primum initio perfecta, iterato rationis exercitio, ad diuinam sensim, quam in viris sapientibus veneramur, *αὐτοπραγία* excoli atque euehi potest. Hoc autem non satis admirandum animi et corporis humani commercium neque e physico, quem vocant influxu, neque e causis occasionalibus et harmonia praestabilita, sed e primitiua vitae sensibilis et rationalis coniunctione in mente humana deriuare debemus, cui mundi externi vicissitudines perpetua numinis prouidentia ita attemperatae sunt, vt homo sensim ex instinctuum naturalium imperio ad arbitrium brutum, liberum et libertatem moralem emergere queat.

Buhle Lehrbuch der Geschichte der Philosophie tom. V. p. 448. VI. 562 sq. 914 sq. *Ma-lebranche* recherches de la verité lib. II. ch. 4. *Platner* Aphorismen. Lipsiae 1793. tom. I. p. 470 sq. *Fichte* Sittenlehre p. 193 sq. *Kant* Kritik der reinen Vernunft p. 331 sq. 706 sq.

§. 84.

Vestigia prouidentiae in institutione hominum politica, morali et religione externa.

Haec autem libertas hominum naturalis ne in licentiam abeat, prouisum est

a numine ciuitatum institutione et legum inde natarum iustitia, in dies magis per varias rerum politicarum conuersiones excolenda, qua, represso cupiditatum libidinumque impetu, prima saltem virtutis humanae fundamenta iaciuntur a). Pace stabilita inter populos fere omnes efflorescere voluit artium, literarum, sapientiae et virtutis studia, quibus hominibus quamplurimis, pro sua cuius sentiendi et intelligendi facultate, ad veri, recti, bonique cognitionem viam strauit b). Accedit religionum, e sacris plerumque fontibus deriuatarum, diuersitas, quibus animos formari, a rebus externis sapienter auocari, patientia malorum et fortitudine roborari et laeta immortalitatis et vitae beatae spe deliniri curauit c).

a) M. religiöse Moral. Götting 1800. p. 183 sq. *Gerechtigkeit gegen uns und andere ist erst der Anfang der menschlichen Tugend:* in m. Predigten zur Beförderung eines moralischen Christenthums. Erlang. 1798. tom. I. p. 129 sq.

b) Niemeiers populäre und praktische Theologie. ed. 4. Halle 1800. p. 213 sq.

c) Meiners Grundriß der Geschichte aller Religionen. Ed. 2. Lemgo 1787.

§. 85.

In dispensatione mali physici.

Neque etiam aliena est a procuratione diuina malorum physicorum, hoc est earum rerum, quae sensus nostros dolore adficiunt, dispensatio. Eae enim ipsae, quibus indignabundi subinde ingemiscimus, calamitates et aerumnae retinacula sunt vis vitalis a), acuum ingenium, reprimunt adfectus, promouent libertatem internam, roborant voluntatem, virtutes docent ante incognitas, auocant mentem ad Deum et res caelestes (Rom. VIII, 17 sq.), et nouum quasi eumque meliorem animum nobis induunt. Non enim temere, sed ita potius dolorum sensus intermiscuit numen gaudiis humanis, vt viribus, libertati, culpaе, consuetudini, sentiendique apud singulos homines diuersitati attemperentur (1 Cor. X, 13); quare vix calamitate vitae qualicunque affligimur, quin sapienti eius patientia puriores a culpa et meliores euadere possimus (Hebr. XII, 6 sq.) b).

a) *Kants Anthropologie* p. 168 sq.

b) *Fest von den Vortheilen der Leiden.* Lipsiae 1787. *Villaume* über den Ursprung und die Absichten des Uebels in der Welt. Lipsiae 1784 sq. *Weifshaupt* Apologie des Mißvergnügens. Frankfurt und Leipzig 1790. *Zollikofer's* Betracht.

tungen über das Uebel in der Welt.
Lipsiae 1789. ed. 3.

§. 36.

*Prouidentia in vitis singulorum hominum
conspicua.*

Quamplurima autem prouidentiae vestigia in *vitis hominum*, eorum inprimis deprehendimus, qui fatis meritisue suis inter coaeuos eminuerunt. Si enim ad natiuitatem eorum, fortunam, primamque educationem adscendimus, inuenimus multa, quae futurum vitae genus, futuramque magnitudinem praeparare et portendere debebant. Si ad iuuentutis pericula pergimus, videbimus, laborum duritiae, paupertate, curis, laudis cupiditate, exemplis aliorum animos erectos, suspensos, et ad boua quaeuis audenda obfirmatos fuisse. Adde postea mira veri cognoscendi praesidia; bene et egregie factorum adiumenta; liberationem a vitii et erroris vinculis; factorum, quae animum ad virtutem reuocauerunt, diuersitatem; tentationum, persecutionum, periculorum euentum felicem; et vniuersum vitae ad altiora tendentis cursum. In libris sacris vitae *Iosephi*, *Mosis*, *Iobi*, *Dauidis*, *Iesu*, *Pauli*, aliorumque ea, quae dicta sunt, exemplis illustribus confirmant.

Niemeier Charakteristik der Bibel. Halae 1782. *Plutarchi vitae parallelae: Augustini et Rousseauvii confessiones; Adami, Schroeckii, Meinersii vitarum collectiones: Erasmi, Lutheri, Melancthonis, Reuchlini, Grotii aliorumque vitae singulares.* M. Predigt: *die Vorsehung aus der Geschichte unseres eigenen Lebens: in den Predigten zur Beförderung eines moral. Christenthums tom. III. p. 317 sq.* Reinhard von den Zeitpunkten der Entscheidung, welche in dem Leben der Menschen vorzukommen pflegen, in den Predigten im Jahr 1801 gehalten tom. I. p. 159 sq.

§. 87.

III. *Providentiae documenta in ordine rerum morali obuia.*

Noua argumentorum, quae providentiae diuinae certitudinem probant, series ducitur, ex ordine rerum, quo viuimus, morali, cui iustus virtutis remunerator, scelerisque vindex praeest (§. 43 sq.). Virtus enim in ea, cui quasi intexti sumus, rerum vicissitudine, non solum pulcherrima sibi ipsi merces est, adeo, vt felicitatem internam, tanquam comitem inseparabilem sibi habeat adiunctam (1 Petr. I, 9); sed plerumque etiam bonis remuneratur externis, quae praemii tarditatem subinde grauitate sua compensant a). Versa vice scelestum non conscientiae solum erinnyes agitant, vt media in rerum omnium affluentia sitiatur careatue tristis (Ies. XLVIII, 22); sed

iustitia etiam vbicunque fere sequitur vindex poenasque meritas, post longum saepius interuallum capiti suo infligit (Hiob. XV, 20 sq. Rom. II, 3 sq.) *b*). Maiorem adhuc iustitiam qui in mundi gubernatione diuina desiderari posse sibi videntur, animaduertant quaeso, multas ab hominibus iactari virtutes, et accusari contra actiones improbas, quae culpa pretioe interno careant; physicam rerum continuitatem propter singula bene aut male facta turbari haud posse; libertati etiam humanae, ne in necessitatem moralem abeat, aliquid tribuendum esse; animosque hominum poenarum praemiorumque inaequalitate quadam ad futuri temporis spem metumque, adeoque immortalitatis et instantis iudicii expectationem saluberrimam sapienter suspensos teneri debere.

a) Illustrantur dicta exemplis Iosephi, Iobi, Davidis, aliorumque.

b) *Plutarchus* de sera numinis vindicta: *Lactantius* de mortibus persecutorum: *Amianus*, *Marcellianus* lib. XIV. c. 11. (de Adrastea vel Nemesi locus egregius). Cf. vitam auctoris in edit. Bipont. p. XX sq. et *Aelii Lampridii* Heliogabalum c. 1. *Brizard* du massacre de la St. Barthélemy. Paris 1789. tom. II. p. 256 sq. *Raguenet* histoire de Cromwell. Paris 1691. de exitu funesto regicidarum Caroli I. Ad datur *Senecae* de prouidentia liber totus.

§. 88.

Aduersariorum prouidentiae argumenta speciosa.

Restat, vt obiectionum adhuc mentionem faciamus, quibus diuinam mundi gubernationem suspectam reddere conati sunt aduersarii. Prouocauerunt enim *primum* ad mali physici et moralis originem, et instantem adhuc impiorum damnationem aeternam, quam cum prouidentia conspirare posse plane negant (Matth. XXVI, 24) *a*). Addidere concatenationem eorum, quae in mundo volente numine fiunt, siue physicam, siue rationalem, quam libertatem hominis qualemcunque secludere identidem iactant *b*). Neque *defuerunt*, qui ordine rerum a numine semel constituto preces humanas irritas fieri, subtiliter et dolosis conclusionculis contenderent *c*). *Plurimi* autem aegre tulerunt hoc, quod virtutem, praemio suo fraudatam, ad pistrinum detrudi, et scelus contra ad summam felicitatem et dignitatem euehi viderent (Hiob. XXI, 7 sq. XXVII, 2 sq.).

a) *Platners Aphorismen*. Lips. 1793. tom. I. §. 1013 sq. Quid si quis Deus mihi largiatur, vt ex hac aetate repueriscam, et in cunis vagiam, valde recusem. *Cicero de senectute* c. 23.

b) *Doederleins christl. Religionsunterricht*, fortgesetzt von *Junge* tom. VIII. p. 163 sq.

c) *Maximus Tyr.* dissertat. XI. cap. 3. edit.
Davisii p. 117 sq.

§. 89.

Vindicatio providentiae.

Respondetur autem ad has argum-
tationes *primum*, mala physica, quorum
iusto minor est numerus, quam vulgo
creditur a), aeque ac moralia, cum ex
naturae finitae, limitibus circumscriptae,
et errori subiectae indole, tum ex liber-
tatis humanae abusu promanare, numi-
nisque sapientia plerumque in bona re-
soluti b). *Deinde* voluntatis humanae ad
libertatem moralem progressus omnino
cum decreto diuino consistere potest,
dummodo id, quod teste conscientia
nostra sumus et agimus, a iudicio intel-
lectus summi, cui omnia debemus, rite
distinguamus (§. 39.) c). *Preces* autem
non propterea fundimus, vt rerum ordi-
nem externum, qui spissa caligine pre-
mitur, mutemus, sed vt in animos nostros
robur et tranquillitatem deriuemus, adeo-
que sempiterna bonitate diuina frua-
mur d). Virtutis *denique* praemia, sce-
lerisque supplicia, non tam ad hominis
externi, qui a naturae legibus pendet,
quam ad interni statum felicem tristemue
referri debent, quem ad culpaе meritique
rationes vbicunque adcommodatum de-

prehendimus, quamuis plerumque nec remunerationes poenaeque externae a recte maleue factis longe absint (Psalm. LXXIII, 2 sq.) (§. 37.) e).

- a) *Tout bien compté et bien pesé, je trouve infiniment plus de douceurs, que d'amertumes dans cette vie.* VOLTAIRE lettres au Roi de Prusse lettre 52. Conf. *Lichtenberg vermischte Schriften.* Göttingen 1800. tom. I. pag. 178.
- b) *Le mal moral est incontestablement notre ouvrage et le mal physique ne seroit rien sans nos vices, qui nous l'ont rendu sensible.* ROUSSEAU *Emile* lib. IV. ed. Bâpont. tom. IX. p. 45. *Leibnitz* *essai de theodicée.* Amsterdam 1710. *Werdermann* *Versuch zur Theodicee.* Dessau 1789. *Niemeier* *Philotas, ein Versuch zur Beruhigung für Leidende und Freunde der Leidenden* tom. I-III.
- c) *Planck* *Geschichte des protestantischen Lehrbegriffs* tom. II. p. 128 sq. *Jakobs* *allgemeine Religion* p. 507 sq. m. *religiose Moral.* Göttingen 1800. p. 25 sq.
- d) *Ierusalem* *Betrachtungen* tom. I. pag. 83. m. *wissenschaftlich - praktische Theologie.* Göttingen 1797. §. 144.
- e) *Reimarus* *Abhandlungen von den vornehmsten Wahrheiten der natürlichen Religion.* Hamburg 1791. p. 603 sq.

P A R S T E R T I A.
D E
O R D I N E D I V I N O
S A L V T I S H O M I N I B V S
P E R I E S V M C H R I S T V M
P A R A T A E.

ORDINE DIVINO

SALUTIS HOMINIBUS

IN CHRISTO

PARATUM

PARS TERTIA.
DE
ORDINE DIVINO
SALVTIS HOMINIBVS
PER IESVM CHRISTVM
PARATAE.
SECTIO II.
DE
IESV CHRISTO SALVATORE
HOMINVM.

§. 90.
Iesum Nazarethanum fuisse hominem.

Iesu Nazarethani, melioris doctrinae auctoris (Ioh. I, 17. IV, 23 sq.), legatio ad genus humanum quum in libris sacris ceu singulare prouidentiae diuiniae beneficium proponatur (Ioh. III, 15 sq. I Ioh. IV, 9), necesse fuit etiam, prouinciam

et dignitatem huius internuntii curatius describi. Quamvis enim religionis doctrinae immutabiles (Hebr. XII, 27) ab hominis qualiscunque natura haud pendeant, proptereaque Iesus ipse coaeuos non de honoris et cultus sui (Matth. VII, 21. Ioh. VIII, 50), sed de veri percipiendi ipsorumque salutis promouendae cura admonuerit (Matth. IV, 17. Ioh. VII, 17); patet tamen, doctorem et doctrinam veri in animis hominum haud vno vinculo coniungi (Ioh. VII, 28. XII, 45). Ordiuntur itaque historiam Iesu Christi hac sententia, qua illum ab eo ipso momento, quo in virginis uterum caelitus descendit, naturam vere et proprie humanam induisse (Ioh. I, 14. Hebr. IV, 15. Luc. VII, 37. XXIV, 39. Phil. II, 7 sq. Rom. VIII, 3) contra eos contendunt, qui Iesum specie tantum humana inter mortales versatum esse opinabantur a).

a) Basilidem, Valentinum, Marcionem, Muhamedum (Corano Sur. IV, 156.) et recentiores Gnosticos. Vide *symbol. Nicenum* et *August. conf.* art. III. de filio Dei.

§. 91.

Incarnatio Iesu.

Haec autem humanitatis Iesu initia ita describunt auctores sacri, ut eum, siue

de caelo venisse in vniversum (Ioh. III, 31. VI, 62. Phil. II, 7. Gal. IV, 4. Hebr. II, 14), siue spiritus sancti et potentiae diuinae effectu singulari in vtero virginis Mariae, quod ad humanam naturam attinget, procreatum esse doceant (Matth. I, 18 sq. Luc. I, 35). Hanc sententiam posteriorem, reiecta eorum opinione, qui Iesu primordia a mutua Iosephi et Mariae consuetudine repetierunt *a*), ita tenuere patres et ecclesiae doctores, vt Iesum a spiritu, *vel* Dei filio aeterno genitum *b*), a Maria matre, inuiolata eius virginitate, in lucem editum esse, contenderent *c*). Quae omnia complectuntur mysterio incarnationis, vel actionis filii Dei passivae, qua humanam naturam nobis consubstantiali, sed ἀναπαρτησίᾳ inhaesiuam distinctam (Hebr. IV, 15. 1 Petr. II, 22), in vnitatem hypostaseos suae ad salutem hominum adsumsisse dicitur *d*).

a) Videlicet Ebionitarum, Cerinthi et Carpocratis: Irenaeus aduers. haeres. lib. I. c. 25. Epiphanius haeres. 10 sq. Versuch eines schriftmäßigen Beweises, dass Jesus der wahre Vater Christi sei. Berlin 1792.

b) Ἐπεστράσαν ἐπ' αὐτὴν ἡ τοῦ Θεοῦ τοῦ ὑψίστου ἐνυπόστατος σοφία καὶ δύναμις, ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, ὁ τῷ πατρὶ ὁμοούσιος, εἰσὶν Θεὸς σόφρος. Ioann. Damascen. exposit. fid. orthod. lib. III. c. 2.

c) *Chrysostomus, Hilarius, Gregorius M.* (homil. 26. in euangel.), quibus et formula concordiae (p. 767) accessit. Conf. pag. 606. 763.

d) *Calou. system. locor. theolog. tom. VII.* pag. 131.

§. 92.

Continuatio doctrinae critica.

Obiecere tamen aduersarii, imprimis recentiores, hanc Iesu conceptionem mirabilem testimoniis idoneis destitui; neque Iesum vnquam, neque Ioannem, qui tamen a Mariae ore pependit (Ioh. XIX, 27), ad eam prouocare (Ioh. VII, 42); potius a populo eum palam pro Iosephi filio haberi (Ioh. I, 46. Matth. XIII, 55 sq. Marc. VI, 3. Luc. II, 48. IV, 22. Ioh. VI, 42. Rom. IX, 5); de Budda Indorum a), Simone Magō b), aliisque similia iactari c); omnemque natiuitatis Iesu historiam, difficultatibus historicis vbique laborantem d), praeuentibus vatum oraculis (Ies. VII, 14. Mich. V, 1), aeuo sequiori demum compositam esse. Quae quidem argumenta, licet rationibus ab experientia ductis refutari aegerrime possint, conuellere tamen nequeunt sententiam, λόγον, qui Iesu infuit, de caelo venisse; et in hac etiam persuasionem cum auctoribus sacris (Ioh. I, 14. VI, 62.) subsistere sufficiat e).

- a) Hieronym. aduers. Iovinian. lib. II. c. 14.
Conf. Klaproth Asiatisches Magazin.
Weimar 1802. St. 3 sq. von den Incarnationen des Vhisnou.
- b) Ego (Simon) sum prima virtus, qui semper et sine initio sum. Ingressus autem sum in uterum Rachel, natus sum ex ea, ut homo, ut ab hominibus videri possim. Apostol. histor. de Petro lib. I. c. 9, in Fabric. cod. apocrypho N. T. tom. II. pag. 416.
- c) Vid. commentationem nostram: de primordiorum Iesu Christi fontibus, incrementis et nexu cum religione Christiana: in opusc. theolog. nquis. Gotting. 1803.
- d) M. biblische Theologie tom. II. p. 245 sq.
- e) Nolimus enim, doctores immorari iis, quae Sanchezius de modo conceptionis Iesu, et inter nostrates ipse Lutherus (opp. ed. Walch. tom. XI. pag. 2978.) in oratione ad populum habita hac de re proposuit.

§. 93.

Doctrina biblica de persona Christi.

Distinguunt autem libri sacri in adumbranda τοῦ λόγου cum homine Iesu coniunctione periodos tres, et singulis sua praedicata tribuunt. Prima enim complectitur naturae Christi sublimioris existentiam apud patrem (Ioh. VI, 62. Ioh. I, 1 sq. Phil. II, 6), eique gloriae caelestis fruitionem mundique creationem vindi-

K

cat (Ioh. XVII, 51. Col. I, 16. Hebr. I, 2). *Altera* continet vitae humanae Iesu cursum, ad eumque doctrinae (Ioh. XVII, 14), miraculorum (Ioh. V, 36) et mortis salutaris (Matth. XX, 28. XXVI, 28) prouinciam, sortemque refert. *Tertia* denique reditum Christi in regiones caelestes occupat, Christoque iam ad dextram Dei exaltato (Act. II, 33. Hebr. VII, 26), corpus subtilius (Phil. III, 21), sanguinis sui in adyto caelesti oblationem et adspersionem (IX, 4. 24 sq. X, 12. XII, 24), intercessionem pro peccatis hominum (Rom. VIII, 34. VII, 25. 1 Ioh. II, 1 sq.), ecclesiae suae regundae munus (Phil. II, 9), suo tempore deponendum (1 Cor. XV, 28), futurique iudicii hominum maiestatem (Matth. XXV, 31), tribuit. Hac autem institutione et doctrina librorum sacrorum, si a locis nonnullis, quibus lectio sana haud inest *a*), discesseris, tantum abest, vt sequiorum litium semina proliciantur; vt potius Θεαν-Θρώπων, personae, naturarum et communicationis idiomatum notiones et voces in iis ne occurrant quidem. Quamuis enim Deum summum corpore qualicunque in oculos sensusque incurrere posse diserte negent libri N. T. (Ioh. I, 18. 1 Timoth. VI, 16); numen tamen eadem ratione, qua Deus mundum et ecclesiam replet (Act.

XVII, 27. Ephes. I, 22 sq.), Iesum hominem λόγῳ suo iniuisse et replevisse (Col. II, 9), probabiliter tradere debuerant; et in hac omnino sententia, sine aliis additamentis, acquiescendum erat doctoribus b).

a) Puto Act. XX. 28. vbi non θεοῦ, sed πληρῶν cum codd. ACDE. adstipulantibus Eusebio, Athanasio, Augustino, Hieronymo aliisque legendum est. Vide *Wetsteinii*, *Griesbachii* et *Matthaei* editiones ad hunc locum. Neque similem etiam lectionem, ὁ λέγει τὸν Ἰησοῦν 1 Joh. IV, 3, quam cum versione vulgata etiam *Socrates* commendat (H. E. VII, 37), genuinam esse existimo. Λέγει enim, quod a Ioannis oratione contexta alienum est, interpretamentum τοῦ μὴ ὁμολογεῖν sine scholium, ad refutandam Christi solutionem Gnosticam margini adscriptum esse videtur. Gnostici enim alium Iesum faciebant, alium Christum: *Tertullian.* de carne Christi cap. 24.

b) Vide commentationem nostram: *de prologi Ioannei fontibus et sensu*: in opusculis nov. theologicis. Gottingae 1803.

§. 94.

Accessiones ecclesiasticae ad hanc doctrinam.

Haec autem, quamvis varia, simplex tamen auctorum sacrorum doctrina post breue intervallum multis accessionibus humanis aucta est. Post *Origenem* enim,

qui, suo licet sensu, Mariam Θεοτόκον adpellauerat, surrexit primum Apollinaris, qui, vt personarum pluralitatem effugeret, λόγον rationis vel νοὸς vicem in anima Christi expleuisse statuit a), mox a Nestorio reprehensus, cui Deus bimestris vel trimestris hand sine veri specie displicuit b). Compellauit itaque Mariam χριστοτόκον, paulo post propter nimiam naturarum Christi separationem concilii Ephesini (a. 431) anathemate percussus, quo naturas Christi ἀχωρίστως καὶ ἀδιαζέτως vnitas esse, haud sine diris ecclesiasticis sancitum legimus c). Secutus est Eutyches, quem in sententiam contrariam delapsus synodi Chalcedonensis (a. 451) decretum coercuit, naturas Christi ἀσυγχύτως καὶ ἀτρέπτως coniunctas esse statuens d). Continuatis per aliquod tempus dissidiis monophysiticis et monotheleticis e), praeualuit synodi Constantinopolitanae (a. 680) sententia, qua Christum secundum vtramque naturam idem quidem velle, sed duabus tamen voluntatibus instructum esse, promulgatum est f). Sopitas dudum lites iterum suscitauit Zuinglii et post illum Osiandri controuersia, qua de reali idiomatum communicatione, et de vero iustitiae hominum fonte in vtraque Christi natura disceptatum est g).

- a) *Walch* Entwurf einer Histoire der Ketze-
reien tom. III. p. 119 sq.
- b) *Socrates* Histor. eccles. lib. VII. c. 34.
- c) *Fuchs* Bibliothek der Kirchenversammlun-
gen tom. IV. p. 78 sq. *Walch* tom. V.
pag. 369 sq.
- d) *Fuchs* l. c. p. 458 sq. *Doederlein* christ-
licher Religionsunterricht, fortgesetzt von
Junge tom. XI. p. 59 sq.
- e) *Walch* Hist. der Ketzereien t. VII-XI. tot.
- f) *Ioannes Damascenus* expositio orthod. fid.
lib. II. c. 14.
- g) *Planck* Geschichte des protestantischen
Lehrbegriffs tom. II. p. 323 sq. tom. IV.
pag. 249 sq.

§. 95.

Doctrina ecclesiastica.

Post tot et tanta itaque dissidia con-
stitutum est in ecclesia: incarnationem
λόγον secutam esse *unionem hypostati-*
cam, vel arcissimam duarum natura-
rum Christi coniunctionem, quae indis-
solubilem vtriusque communionem in-
ferat (Col. II, 9). Communionem natu-
rarum in persona Christi esse vtriusque
participationem mutuam, quae tamen
confusionem et commixtionem omnem
secludat. Hanc autem naturarum par-
ticipationem *triplici* fieri ratione: siue ita,
vt vna, vel altera natura proprietatem

suam tribuat toti personae (1 Cor. II, 8. Act. III, 15. Ioh. VIII, 58); siue hoc modo, vt vtraque natura cum altera coniuncta proprietatem suam in personam Christi transferat (1 Cor. XV, 3. Gal. I, 4); siue hac demum ratione, vt natura Christi diuina humanae attributa sua operantia inferat (Matth. XXVIII, 20. Ioh. V, 22. 27. XVII, 3. 1 Ioh. I, 8). Primum communicationis genus adpellatur *idiomaticum*; alterum *apotelesmaticum*; tertium *anchematicum*; propositiones autem hanc participationem enuntiantes vocant *personales*.

Ioannes Damascenus lib. III. c. 11 sq. *Melanchthon* loc. theolog. de filio p. 325 sq. *Formula concordiae* c. VIII. de persona Christi; *Calou.* tom. VII. p. 200 sq.

§. 96.

Observationes criticae.

Hanc vero ecclesiasticam doctrinae subtilitatem adeo miramur, vt, formas receptas non graui quidem auctoritate retinendas a), sacrae tamen siluae, licet spinis et difficultatibus obsitae, etiamnum parcendum esse b), facile opinemur. Simulac enim λόγον, siue filium Dei aeternum (§. 49 sq.) in naturae humanae limites coarctari potuisse, cum ecclesia docetur (§. 92); necesse est etiam

has, vel similes conclusiones ex hac sententia, in religionis publicae emolumentum forte tuenda, deriuari. Teneamus itaque, sine omni tamen cauillandi studio, hanc doctrinam ad acuendum ingenium, ad antiquitatis Christianae reliquias seruandas, et pietatis, quae naturae Christi diuinae consideratione alitur, semina fouenda; ita tamen, vt fertilissimas etiam, quae eiusmodi propositionibus fundamenti loco subiacent, allegorias temporum successu teri sensim et attenuari, memores simus c).

a) Verba *Melanehthonis* l. c. p. 325.

b) Verba b. *Doederleinii* institut. theolog. christ. §. 253. obseruat. i.

c) *Doederleins* christlicher Religionsunterricht, fortgesetzt von *Junge* t. XI. p. 52 sq.

§. 97.

De officio Christi, primum prophetico.

Finis incarnationis λόγου secundum literas sacras fuit redemptio hominum (Luc. I, 68. Ioh. III, 15 sq.), quam munere tripartito a Iesu *propheta*, *pontifice summo* et *rege* absolutam esse docent a). *Prophetico* enim, quod ei in libris sacris vindicatur (Luc. XIII, 33. XXIV, 19. Ioh. VI, 14. Act. III, 22), officio, ita functus

esse dicitur, vt cum proponenda doctrina morali et euangelica (Matth. IV, 17. V-VII. XI, 28 sq. Luc. XXIV, 47. Ioh. I, 17), tum praedictione rerum futurarum contingentium (Matth. XXIV, 6 sq. XII, 40. XVII, 22. XX, 19. Luc. XIII, 32), tum miraculis patrandis (Ioh. IV, 48), se legatum diuinum esse ostenderet (Ioh. V, 36) *b*). Fuere quidem, qui vates Hebraeorum, doctores tantum, ardore docendi instructos fuisse *c*); Iesum ipsum sapientiam suam ex humanis fontibus hausisse *d*); vaticinia eius siue vniuersalia (Matth. XXIV, 34), siue post factum consignata *e*); miracula Christi autem non vi absolute, sed mediate diuina perfecta esse *f*) monerent; neque tamen infringere vnquam potuerunt sententiam, *Iesum, qui tanta peregit docendo, cognitione et viribus admirandis a patre ad meliorem religionis doctrinam inter homines promouendam instructum fuisse* (Act. III, 22).

a) Censuram huius diuisionis haud ininstam dedit *I. Aug. Ernesti* in opuscul. theol. p. 411 sq. Conf. *Chemnitii* loc. theol. Francof. 1599. tom. I. p. 182 sq. *de appellationibus officii Christi*. Attexi tamen possunt commodè, quae ad illustrandam Iesu prouinciam pertinent,

b) *Calou. l. c.* p. 443 sq.

c) *Mosheim* dissertationes ad historiam ecclesiasticam pertinentes Vol. II. p. 125 sq. *Koppe* excurs. III. ad epistol. ad Ephesios.

d) *M. religiöse Moral* §. 69 sq. *Biblische Theologie* tom. II. p. 299 sq.

e) *Ibid.* p. 362 sq.

f) *Ibid.* p. 339 sq.

§. 98.

Deinde sacerdotali.

Aliam functionem obiisse dicitur Christus ceu *summus pontifex* (Hebr. II, 17. IV, 14. VII, 26 sq.), qui se ipsum pro genere humano in sacrificium obtulit (IX, 7. X, 3 sq.) et vi huius oblationis interpellatione sacerdotali ad salutem hominum apud patrem intercedit (V, 7. VII, 24 sq.). Reticeri tamen nequit, hanc dignitatem in saluatorem non nisi in epistola conferri, imaginum Iudaicarum plenissima (Hebr. V, 10 sq. VI, 19 sq. VIII, 2 sq. IX, 11 sq. 24 sq. XIII, 10 sq.); Iesum ipsum ad sacrificuli et pontificis provinciam tantum non adspirare, vt amorem potius et obedientiam sacrificiis omnibus praeferat (Matth. IX, 13. Marc. XII, 33); munus huius pontificis summi, qui victima simul et ara dicitur (Hebr. VII, 27. X, 20. XII, 24. XIII, 10), adumbratione templi et Hierosolymae caelestis Iudaica niti (IX, 11 sq. XII, 22 sq.), ab

apostolis longe antea repudiata (Actor. XVII, 24 sq.); in reliquis autem N. T. libris salutem hominum non a fide in Iesum, summum pontificem, sed Dei filium suspensam esse (Luc. I, 77. XXIV, 47. Ioh. XX, 31). Satius itaque videtur, de sacrificio Iesu Christi in gratiam hominum oblato alio loco exponere (§. 112 sq.).

Calou. l. c. p. 499 sq. *m. biblische Theologie* tom. III. p. 17 sq. *Schoettgen* de Hierosolyma caelesti in horis hebraicis tom. I. p. 1205 sq. *Ziegler* Einleitung in den Brief an die Hebräer. Göttingen 1791. p. 281 sq.

§. 99.

Et regio,

Regio denique *munere* fungi dicitur Iesus (Matth. II, 2) ad dextram Dei exaltatus (Act. III, 21), cui ceu maiestatis diuinae haeres (Phil. II, 9. Hebr. I, 4) adsidet (Matth. XXV, 31) atque adstat (Act. VII, 56) a). Spreta enim mundani imperii dignitate (Ioh. VI, 10. XVIII, 36), post reditum ad patrem summa potestate in terra caeloque instructus (Matth. XXVIII, 18. Col. I, 17. Hebr. I, 12. II, 3) in ecclesia sua dominatur (Ephes. I, 22. V, 23) et electis gloriose imperat (Marc. XVI, 15 sq. Apoc. III, 21. XVII, 14).

XXII, 5. Phil. III, 21) *b*). Monuere quidem doctores, Iesum regis ipsiusque Christi titulum semper auersatum (Matth. XVI, 20) *c*); regnum eius spirituale esse, siue veri et virtutis rempublicam (Luc. XVII, 20. Matth. VI, 10) *d*); sapientem vel a Stoicis regem adpellari *e*); Christianorum nomen haud doctrinae, sed sectae nomen esse (Act. XI, 26) *f*); fore aliquando, vt regnum Christi aboleatur et in imperium diuinum abeat (1 Cor. XV, 24 sq.) *g*); et in ordine rerum, a numine ipso gubernato, rege vicario haud opus esse. At enimvero, si vel concedatur, in prophetae nomine totum opus seruatoris inesse, et officium regium a prophetico non nisi sono differre *h*); iuuat tamen cum literis sacris in Iesu Christo caput ecclesiae suae venerari (Ephes. I, 22. IV, 15), cui vel in statu sublimiori collocato salus suorum curae sit (Ioh. XVII, 20 sq. Hebr. VII, 25).

a) Hic enim locus est vnicus, quo Iesus $\text{ὁ ὢς θεοῦ πρὸς δεξιὰν τοῦ πατρὸς ἕστῳς}$ dicitur.

b) Calou. l. c. p. 588 sq.

c) M. *biblische Theologie* tom. II. p. 336 sq. Des - Côtes Schutz - Schrift für Iesum von Nazareth. Frankfurt 1797. p. 175.

d) Melanchthōn de regno Christi: loc. theol. pag. 576 sq.

e) *Diogen. Laert. in vita Zenonis cap. I. §. 64. Stobaeus eclog. phys. et ethic. lib. II. c. 7. ed. Heeren p. 122. 206. 222.*

f) *Lactant. institut. div. lib. IV. c. 7. Heumann de ortu nominis Christiani. Gotttingae 1736. diss. recusa in primitiis Gotttingensibus. Buddeus de origine et usu nominis Christiani. Jenae 1711.*

g) *M. biblische Theologie t. III. p. 8 sq.*

h) *Verba I. A. Ernestii in dissertatione, de officio Christi triplici: opuscul. theolog. Lipsiae 1773. p. 421.*

§. 100.

De statu Christi, primum humili.

Post officia distinguunt etiam statum Iesu Christi *humilem* atque *sublimem*. Humilem vel *exinanitionis* statum (Phil. II, 7) eam vocant Iesu conditionem, qua relictā diuinitatis gloria (Ioh. XVII, 5) ad humanam sortem descendit, officio suo in forma seruili ad mortem vsque defunctus a). Docent enim, filium Dei carne indutum se ipsum *primum* dignitate caelesti exuisse b); *deinde* formam seruilem adoptauisse (Phil. II, 7. Rom. VIII, 3. Hebr. II, 16); *postremum* suscepta prouincia ad mortem vsque obedienter functum esse (Phil. II, 8. Ioh. XIX, 18) c). Cui quidem doctrinae mere biblicae haud sine pietatis emolumento adsentientur omnes, quibus libros sacros non de

ideali, vel allegorica, sed vera et reali Iesu προῦπάγει verba facere, persuasum est.

a) Form. Concord. pag. 608 sq. Calou. l. c. pag. 614 sq.

b) Κενώσεις, non προΰψει: vid. Walch Einleitung in die Religionsstreitigkeiten innerhalb der Lutherischen Kirche tom. I. p. 206 sq. IV, 551 sq.

c) Alii quinque gradus exinanitionis distinguunt: natiuitatem, vitam miseram, passionem, mortem, sepulturam. Sed haec omnia ab arbitrio doctoris pendent: conf. symbolum apostolicum art. 2.

§. 101.

Deinde sublimi.

Humilitatem Christi secutus est status exaltationis (Phil. II, 9), vel ea Iesu de mortuis suscitati conditio, qua secundum naturam humanam ad imperium et gloriam coeli euectus est. Distinguunt descensum Christi ad inferos (Ephes. IV, 9. 1 Petr. III, 19 sq.), quo victor mortis de daemonibus et damnatis triumphum egit a); resurrectionem de mortuis (Matth. XXVIII, 6), qua eum corpore eodem quidem, sed dotibus admirandis instructo, de sepulcro prodiisse volunt b); adscensionem in coelum (Marc. XVI, 19. Luc. XXIV, 51. Act. I, 9), qua ratione visibili

ad nubes vsque, deinde modo inuisibili ad sedes caelestes euectus; *sessionem ad dextram Dei* (Act. II, 33 sq. III, 21. Phil. II, 9. Hebr. VII, 16), qua idem cum patre imperium in res creatas nactus esse dicitur; et *reditum ad iudicium de uiuis et mortuis* (Matth. XVI, 27. XXV, 31 sq. 1 Thess. IV, 14) ferendum. His autem doctrinis, auctoritate biblica satis munitis, hoc tantum addere iuuat: descensum Christi ad inferos, ex notioni- bus Iudaicis facile explicandum *c)*, vel a libris nostris symbolicis haud vrgeri *d)*; de dotibus corporis Christi singularibus post reuiuiscen- tiam eius e libris sacris non constare (Luc. XXIV, 42 sq. Ioh. XXI, 13 sq.); separationem Christi a discipulis eius aliter a Matthaeo et Ioanne, aliter a Marco et Luca tradi *e)*; dextram Dei, quae formula Messiana est (Psalm. CX, 1), ex mente Lutheri ubicunque esse *f)*; et iudicium Messianum, de quo infra exposituri sumus, a Iesu ipso duplici ratione illustrari (Ioh. III, sq. V, 21 sq.).

a) Symb. apostol. art. 2. *Lutheri* opp. ed. Walch. tom. X. p. 1354 sq. Epitome articulo- rum, de quibus controuersiae ortae sunt cet. p. 613.

b) *Inuisibilitate, impalpabilitate, illocalitate*; CALOU. I. c. p. 697.

c) *Pott* excurs. ad 1 Petr. III, 19: de descensu Christi ad inferos: *Dietelmaier* historia dogmatis de descensu Christi ad inferos. Altdorf. 1762. ed. 2.

d) *Formul. Concord.* pag. 613. *Planck* Geschichte des protestantischen Lehrbegriffs tom. V: p. I. pag. 251 sq.

e) Vid. commentatio nostra: *historia adscensus Christi in caelum biblica*: in opusc. nov. theol. Gottingae 1803. et quae contra monita sunt in *Flattii* Magazin für christliche Dogmatik und Moral St. VIII. pag. 55 sq.

f) Vid. supra §. 36. not. 6. *Calou.* tom. VII. pag. 716 sq.

S E C T I O II.

D E

MODO SALVTIS PER CHRISTVM
CONSEQVENDAE.

P A R T I T I O I.

D E

VOCATIONE ET PRAEDESTINATIONE.

§. 102.

*Introductio: doctrina de vocatione biblica
et ecclesiastica.*

Has omnes humanae sortis vicissitudines expertus est Iesus Christus ad salutem hominum (§. 90), cuius hic est ordo, *ut vocati credamus, credentes coram Deo insontes et iusti habeamur, pro iustis declarati ad maiorem in dies vitae sanctitatem progrediamur* (2 Tim. I, 9. Ioh. III, 15 sq. Rom. III, 28. 1 Petr. I, 15 sq.). *Vocationem* nimirum adpellant libri sacri inuitationem hominum ad salutem virtute euangelica parandam (Marc. II, 17. Rom. I, 6. 2 Petr. I, 10); quare religionem Christianam ipsam interdum *κλη̃σεως* nomine insignant (Ephes. IV, 1-4). Ad hanc salutem Deus ipse inuitat per

Iesum Christum (1 Cor. I, 9. 2 Tim. I, 9. 1 Petr. I, 15. V, 10) omnes homines excepto nemine (1 Tim. II, 3. 2 Petr. III, 9) a). Quapropter in ecclesia docent, vocationem esse actionem spiritus sancti (2 Cor. III, 6), qua homines inuitat ad beneficia a Christo parta per fidem consequenda (1 Thess. II, 12). Vocari quidem hominēs *indirecte* iam per rationem (Act. XVII, 27. Rom. I, 19. II, 14); *directe* autem reuelatione, tum legis (Gal. III, 24), tum euangelii (Ioh. III, 5. 1 Cor. III, 5. 2 Thess. II, 14). Hanc vocationem toti humano generi innotuisse volunt (Ezech. XXXIII, 11. Marc. XVI, 15. 20. 1 Tim. II, 4. Rom. X, 13. Col. I, 6. 2 Petr. III, 9); quare, qui gratia excidunt, suamet ipsorum culpa perire dicuntur (Matth. XX, 16. XXII, 14. Act. XIII, 46) b).

a) *Eckermann* theologische Beiträge tom. II. p. I. pag. 57 sq. m. *biblische Theologie* tom. III. p. 164 sq.

b) *Calou*. tom. X. p. 1 sq. *Quenstedt* theologia didactico - polemica. Lipsiae 1715. tom. II. p. 662 sq. imprimis p. 675. De apostolis vel in Americam penetrantibus vide disserentem *Fabricium* in salutari luce euangelii toti orbi per diuinam gratiam exoriente. Hamburg. 1731. in 4. p. 763 sq. et ante eum *Herm. Witsium* miscell. sacr. Traiecti 1700. tom. II. pag. 400 sq.

L

§. 103.

Dubitationes de vocationis vniuersalitate illustratae.

Hanc autem vocationem hominum ad salutis per Iesum Christum partae fructum, quamuis in N. T. ita vniuersalis fuisse doceatur, vt in Iesum non credentes de felicitate sempiterna secludantur (Marc. XVI, sq. Act. IV, 12), ad omnes tamen terrarum gentes peruenisse, multi fuerunt, qui negarent atque pernegarent a). Prouocant enim *cum* ad testimonia scripturae sacrae, quibus multos populos sibi ipsis relictos fuisse efficitur (Psalm. CXLVII, 19 sq. Act. XIV, 16. XVII, 30); *tum* ad loca, quae multos, non omnes vocatos esse docent (Matth. XX, 16. XXII, 14); *tum* ad paucitatem apostolorum, qui propter linguarum ignorantiam (Act. XIV, 11) ne Asiae quidem regiones omnes peragrarare poterant (Act. XVI, 7); *tum* ad Americae et Polynesiæ incolæ euangelii cognitionis plane expertes. Responderi tamen potest, fidem Christianam historicam iis tantum commendari (Marc. XVI. Act. IV, 12), qui Messia se carere posse non crediderant; fore autem auctore Paulo (1 Cor. XV, 24), vt regnum Messianum aliquando in regnum mere diuinum vel caeleste abeat; veram huius regni sedem, non in anti-

qua Christianorum historia, sed in mentibus hominum quaerendam (Luc. XVII); rationis, officii et conscientiae vocem vbiq̃ue locorum vnam eandemque esse (Rom. II, 12 sq.); proptereaque Iesum ipsum cum apostolis de proborum gentilium aliarumque nationum salute non dubitauisse (Matth. XII, 42. Luc. XIII, 29. Act. X, 34. Rom. II, 26). Quae omnia testantur abunde, vnitatem sapientiae, religionis et salutis, adeoque vocationem vniuersalem vel in subsidiorem pietatis historicorum diuersitate locum habere posse b).

a) E patribus *Origenes* (tract. 28. in Matthaeum) et *Augustinus* (epistol. 89. ad Hesych.) Vid. *Eberhard* Apologie des Socrates tom. I. p. 195 sq.

b) Vid. supra §. 18. not. a.

§. 104.

Doctrina biblica de praedestinatione.

Pugnare tamen videtur, cum hac voluntate diuina hominibus cunctis propitia decretum aliud (*προορισμός* Rom. VIII, 30), quo iam ante secula nonnullos saluti, alios perniciiei sempiternae destinauisse dicitur. Docent videlicet literae sacrae, Deum Israelitas, Christianosque iam ab aeterno elegerisse (Deut. VII, 6-8. Matth. XXV, 34. Luc. X, 20. Ioh. VI, 44. X, 26. Act. XIII, 48. Rom.

VIII, 29 sq. Ephes. I, 4 sq. II, 8 sq. Phil. IV, 3. 2 Tim. II, 19. 2 Thess. II, 13 sq. 1 Petr. I, 2); alios contra obduratos et a virtute quasi auiulos reprobauisse (Exod. IV, 21. VII, 3. Ies. VI, 9 sq. Matth. XIII, 14 sq. Rom. IX, 15 - 22. 1 Petr. II, 8. Iud. 4). Quae quidem sententia, posterior inprimis, quamuis secundum litteram intellecta satis dura videri queat, emollitur tamen cum odii erga gentiles notatione, cui scriptores sacri interdum indulisse putantur (Ioel III, 17. Malach. IV, 1. Iudith XVI, 20 sq.); tum admonitionum ad salutem virtute parandam nube, quibus liberum hominis arbitrium sexcentis in locis confirmant (Ies. I, 16 sq. Matth. IV, 17. Ephes. VI, 10 sq. Rom. XII, 1 sq.); tum testimoniis disertis, quibus miserum peccatoris statum Deo curae esse contendunt (Marc. II, 17. Luc. XV, 10. Act. XXVI, 18). Cauendum itaque est summopere, ne Deo optimo maximo (§. 40.) voluntatem tyranni absolutam (Rom. IX, 15) tribuamus, qua omnes sapientiae et pietatis scintillae in mente humana exstinguuntur.

Id quod fecit *Augustinus*, qui de praedestinatione multa durissime scripsit. Contendit enim: *voluntatem hominis sequi gratiam Dei; duas autem esse hominum societates, alteram malorum, quos praedestinavit ad supplicium aeternum, alteram bonorum, quos praedesti-*

nauit ad regnum aeternum: de ciuitate Dei lib. XV. c. 11. *Praedestinationem bonorum e gratuita misericordia, malorum e iustitia diuina pendere*: enchirid. ad Laurentium c. 97 sq. Ex isto numero electorum et praedestinatorum etiam qui pessimam duxerunt vitam, per Dei benignitatem adducuntur ad poenitentiam: contra Iulian. Pelagian lib. V. c. 3. Conf. et *praedestinatum*, certaminibus literariis satis celebrem, et *Walchii* Historie der Ketzereien tom. V. p. 366 sq. Propugnatae de decreto absoluto per Petrum Lombardum et Thomam Aquinate sententiae ipse fere accessit Lutherus in libro de arbitrio sermo (Vitembergae 1526 in 8.), et post illum Calvinus, qui non ideo Deum elegerisse quosdam docet, quia praevидit, illos futuros esse sanctos, sed sanctos factos esse, quia elegit illos (instit. rel. Christ. lib. III. c. 21.) Adstipulatur conf. Belgica art. 16. et synod. Dordrac. can. 6. De supralapsariis et infralapsariis vide *Walch* Geschichte der Religionsstreitigkeiten außer der Lutherischen Kirche tom. III. p. 718 sq.

§. 105.

Doctrina ecclesiastica de electione et reprobatione.

Hos itaque scopulos vt praeteruehantur, docent in ecclesia nostra: praescientiam Dei atque praedestinationem ante omnia distinguendam esse. Praedestinationem autem, vel electionem esse actum Dei, quo hominem peccatorem quemuis per fidem in Christum emendatum ad vitam aeternam ante secula praeordinauit

(Ephes. I, 4. Rom. VIII, 30), *idque ex mera gratia propter meritum Christi* (Eph. I, 11. II, 4 sq. III, 11). *Reprobationem contra esse actum Dei aeternum, quo hominem propter meritum Christi sponte reiectum, non autem ex decreto absoluto, ad mortem aeternam damnauit* (Math. XXV, 41. Rom. II, 5). *In utraque, cum electione, tum reprobatione, neque ad rationem humanam, neque ad legem, sed ad reuelatam Dei voluntatem respiciendum esse, qua docemur, Deum sub conditione fidei omnium hominum salutem velle* (Ezech. XVIII, 32. Rom. XI, 32. 1 Ioh. II, 2); *quapropter e libera cuiusuis voluntate pendere, utrum vocationem suam fide firmam reddere velit, nec ne* (2 Petr. I, 10)? Quae quidem, si a praescientiae et praedestinationis discrimine in libris N. T. non firmato (Rom. VIII, 30), a morte peccatoris aeterna discesseris, et fidem in Christum, quae salutis vnica conditio ponitur, curatius explicueris, tam sapienter constituta sunt, vt ea mente lubentissima amplectamur.

Formula Concord. p. 617 sq. 797 sq. Calou. tom. IX. p. 607 sq. Quenstedt tom. II. p. 22 sq. Platt Magazin für christliche Dogmatik und Moral part. I. p. 201 sq. Staudlin Beiträge zur Geschichte etc. tom. III. p. 194 sq.

PARTITIO II.

D E F I D E.

§. 106.

Fidei notio biblica.

Altera (§. 102.) salutis per Christum consequendae conditio est *fides* (Ioh. III, 15), siue *firma persuasio de iis, quae experientia et sensibus non ipsi cognita habemus* (Hebr. XI, 1). Distinguitur ratione *formae* in *fidem auctoritatis*, quae in alieno testimonio acquiescit (Sirac. XIX, 4 sq. Matth. XXI, 25. Luc. XVI, 31. XXIV, 25. Ioh. XII, 44.) et *méditationis*, quae argumentis animi internis nititur (Marc. I, 15. Ioh. V, 24. XII, 36); ratione *argumenti* autem in *historicam*, quae circa factum versatur externum (Ioh. XX, 25.) et *rationalem*, in specie *fidem religionis*, quae ad Deum summi boni largitorem spectat (Ion. III, 5. Marc. XI, 22. Hebr. XI, 6), cuius consecrarium est *fiducia* (πεποίθησις), siue status animi ex adsensu originem ducens (2 Cor. III, 4. Ephes. III, 12. Hebr. III, 6. X, 35). Peccant itaque, qui fidei et fiduciae notiones inter se commiscent.

Conf. *Melanchthon* de vocabulo fidei in loc. theolog. p. 425 sq. et *Toellner* theologische Untersuchungen tom. I. part. I. p. 112 sq.

§. 107.

Doctrina biblica de fide.

Fidem auctoritatis, ceu salutis adipiscendae conditionem, a Iesu saepius posci, negari nequit (Ioh. III, 15. V, 38. 40. 47. XI, 25 sq.); hanc tamen fidem ad-sensum caecum (fidem informem, implicitam) neutiquam esse debere, tum ex aliis N. T. locis (Matth. VII, 22-27. Ioh. VII, 17. 1 Thess. V, 21. Ioh. IV, 1), tum ex additamento patet, quo docet, fidem ei dicatam mox in fidem erga Deum abituram esse (Ioh. V, 24. 38. XII, 44 sq.). *Fides rationalis* autem in Deum, quae libera meditatione nititur, ceu verus et vnicus virtutis et salutis ei adiunctae fons in N. T. indicatur (Hebr. XI, 6. Rom. XIV, 23. Gal. V, 6. Iacob. II, 14 sq.); imprimis *fides mixta*, seu adsensus Iesu, Dei filio et doctrinae eius datus (Ioh. I, 12. Act. VIII, 36. XIII, 39. Rom. I, 16. III, 22. 1 Ioh. III, 23). *Incredulitatem* contra auctores sacri vbique ceu vitiositatis et miseriae humanae fontem describunt (Matth. XVII, 17. Rom. II, 8. Ephes. II, 2. V, 6. Tit. I, 15). Cauendum tamen est summopere, ne ea, quae libri sacri de *incredulitate morali* (1 Cor. II, 14) docent, ad ἀπιστίαν vel ἑποχὴν *historicam* trahantur, quae interdum, ab argumentis idoneis profecta,

cum veritatis et virtutis amore felicissime conspirat.

Flatt Magazin für Dogmatik und Moral part. I. p. 104 sq. *Kant* Religion innerhalb der Gränzen der Vernunft p. 233 sq. *Schmid* über christliche Religion p. 348 sq. *Der Unglaube in seiner wahren Gestalt*: in m. Predigten zur Beförderung eines moralischen Christenthums tom. III. Erlangen 1802. p. 253 sq.

§. 108.

Doctrina ecclesiastica de fide.

His autem similibusque scr. s. locis innixi docuerunt in ecclesia: fidem in vniuersum esse persuasionem de iis, quae non videntur, adeo firmam, vt spei nostrae fiat fundamentum (Hebr. XI, 1). Fidem in Christum (Ioh. III, 15) autem esse habitum intellectus et voluntatis ad se applicandi ea, quae in libris sacris de Christo reuelata sunt. Partes huius fidei esse notitiam credendorum de Christo et merito eius, non implicitam, sed explicitam (Ioh. VI, 69. XVII, 5); adsensum, seu iudicium de veritate eorum, quae libri sacri de munere Christi docent (Ioh. III, 33. Actor. VIII, 37); fiduciam denique, siue actum voluntatis, quo in Christo mediatore acquiescit, in illoque spem veniae et sempiternae felicitatis reponit (Rom. III, 24. Ephes. III, 12). Causam fidei principalem esse Deum trinunum (Rom. I, 8.

Col. I, 3 sq.); *instrumentalem euangelium* (Gal. III, 2. 5); *finem, iustificationem hominum et salutem aeternam* (Rom. III, 28. Ioh. XX, 31).

Lutheri opp. tom. XXII. p. 706 sq. qui locus summam continet eorum, quae varie et multis modis disputauerat vir beatus de fide. *Apolog. conf. August.* p. 68 sq. *Calou.* tom. X. p. 301 sq. *Quenstedt* tom. II. p. 787 sq. *Hollazii* examen theologicum acroamaticum p. 1157 sq.

§. 109.

Observationes criticae.

Desideramus autem in hac doctrina vniuersa primum aptam expositionem discriminis, inter *scientiam, fidem* et *opinionem* seu superstitionem intercedentis, quod ex nostra quidem sententia in eo situm est, vt ea, quae scimus, experiundo percipiamus, quae credimus et speramus, sola et vera (Rom. VIII, 24), quae opinamur autem, nulla vel adparente tantum ratione concludamus a). Vera et solida fides theologica non, nisi profundis perpetuisque meditationibus de rebus diuinis suscipi, ali et foueri potest (1 Cor. II, 14) b). Reuerenda itaque est quam maxime *fides externa*, quae auctoritate Iesu Christi diuina nititur, ita tamen, vt sensim in *fidem religionis internam*, quae Deum, sapientiae et bonitatis exemplum summum animo

imitandum proponit (Matth. V, 48. 1 Petr. I, 15 sq.), resoluatur (Ioh. XII, 36. 44), a filio in patrem adscendat, et a patre ad filium redeat (Ioh. XIV, 1). Neque enim syllabarum tendiculis, vel inani verborum aucupio, sed veritate et spiritu, qui hominem internum pascit et liberat (Ioh. VI, 63. VIII, 32 sq. 2 Cor. III, 17), fides Christianorum absoluitur, quae lucem non fugit, sed quaerit (Ioh. III, 20), vt opera gignat veritati congrua (v. 21) c).

- a) In alia abit *Kant* Kritik der reinen Vernunft p. 848 sq. qui fidem moralem posci autumat ratione practica. Conferantur autem, quae observauimus in libro: *religiöse Moral.* Göttingen 1800. §. 29 sq.
- b) Meditationes autem mere historicae in ipsa theologia positina semper aliquid dubitationis relinquunt. Mirari itaque haud subit, vel *Lutherum* (l. c. p. 753 s.) saepius de fidei suae infirmitate conquestum esse.
- c) Vid. comment. m. *quale insit in auctoritate veri praesidium?* in opusc. theol. Erlang. 1793. et *Spalding: die Religion eine Angelegenheit des Menschen.* Leipzig 1797. p. 160 sq.

§. 110.

Nexus fidei cum salute hominum.

Restat adhuc, vt de vinculo exponamus, quo fides cum salute hominum coniuncta est (Rom. I, 16). Patet autem

fide in Deum et filium eius (Ioh. XVII, 3), causarum naturalium indaginem limitibus debitis circumscribi ad veritatem inueniendam et figendam; voluntati virtutis sempiternae archetypum exhiberi per omnem vitae cursum pietate ardentissima prosequendum (Luc. VI, 36. Matth. V, 48); doctrinae moralis praecepta, de quibus ii, qui inter homines dicuntur sapientes, aegerrime consentiunt *a*), legati caelestis auctoritate confirmari (Ioh. VI, 29. XII, 45); animum ad ordinis rerum moralis, cui impliciti sumus (§. 37) contemplationem et admirationem, ad spem et fiduciam mediis in calamitatibus excitari atque erigi (Rom. VIII, 31 sq.); certamque vitae melioris et aeternae, iustaeque retributionis persuasionem mentibus insinuari (Matth. XXII, 32. Ioh. XI, 25. Rom. II, 6). Quae omnia si iustae lance ponderantur, vim addunt sententiae, a vera fide omnem sapientiam, virtutem et felicitatem hominum internam pendere (Rom. I, 17. XV, 13. 1 Ioh. V, 4).

- a*) *Garve* Uebersicht der Principien der Sit-
 lehre von Aristoteles bis auf unsere Zei-
 ten. Breslau 1798. *Meiners* allgemeine
 kritische Geschichte der Ethik. Th. I. II,
 Göttingen 1800.

PARTITIO III.

DE

RECONCILIATIONE HOMINVM CVM DEO.

§. 111.

Remissionis peccatorum notio biblica.

Tertia salutis per Christum obtinendae conditio (§. 102) est, vt remissione peccatorum et beneuolo Dei de nobis iudicio digni euadamus. Est autem remissio peccati, quod et tegi, auferri, condonari dicitur (Exod. XXX, 10. Levit. IV, 10. Psalm. XXXII, 1), actus beneuolentiae, ad munificentiam publicam (Levit. XXV, 10. Deut. XV, 1), vel priuatam creditoris, debitori lento propitii (Matth. VI, 12), adumbratus, quo poenam sceleris meritam praetermitti significatur (Col. II, 13) a). Peccata Israelitarum ex constitutione Mosaica remittebantur interueniente victima piaculari (Levit. IV, 3 sq.), in cuius caput poenas peccatoris denouere solebant (v. 15 – 20). Quae quidem symbolica et vicaria quasi peccata expiandi ratio, quamuis Dauidi et prophetis nequitquam placuisse videatur (Ps. XXXII, 1 – 5. XL, 7 sq. Ezech. XVIII, 21. 28. Micha VII, 18 sq.), rediit tamen in celeberrima allegoria post exilium Babylo-

nicum (Ies. LIII, 5) *b*) et in sequiores etiam N. T. libros immigrauit. Ea enim ipsa peccatorum condonatio, quam Iesus precibus obtinendam esse docet (Matth. VI, 14 sq.), aliis locis sanguini et morti Christi vindicatur (Matth. XXVI, 28), adeo, vt varios doctrinae typos hac de re in libris sacris obuios summa cura distinguere debeamus.

a) *Vitrinae* commentatio de peccatorum remissione in observationibus sacris tom. I. p. 909 sq. *Flatt Magazin für christliche Dogmatik und Moral* p. III. pag. 190 sq.

b) *M. biblische Theologie* tom. II. p. 131 sq.

§. 112.

Doctrina biblica de causis, quare Deus hominibus peccata remittat.

Praeiuertant nimirum, quemadmodum iam memorauimus (§. 111.), libri V. T. sententiam, Deum peccatori *primum* propter reditum ad mentem meliorem flagitiorum poenas remittere (Ps. XXXII, 4. Ies. I, 16–19. XLIII, 25. LV, 7. Ierem. XXXI, 34). Eadem ratione Ioannes baptista (Matth. III, 8. Marc. I, 4) *a*), et Iesus ipse (Matth. IV, 17. IX, 2. 22. Marc. II, 5. V, 34. XII, 33. Luc. VII, 47. Ioh. VIII, 11. Luc. XXIV, 47), cum apostolis (Act. III, 19. XXVI, 18. Hebr. X, 18) fidem et resipiscentiam ceu vnicam con-

donationis peccatorum conditionem ab auditoribus poscunt. *Postea*, quum vitae exitum adesse sentiret doctor diuinus, mortem suam, quam se pro veritate alias et in gratiam suorum subire ait (Ioh. X, 15. XVII, 19), cum sacrificio piaculari (Matth. XX, 28. XXVI, 28) et peccatoris poenas onere vicario ferente (Ioh. I, 29) comparat, atque hanc etiam comparisonem apostoli et doctores agmine longo secuti sunt. Docet nimirum *Paulus*, Iesum a patre ipso morti quasi victimam piacularem destinatum fuisse (Rom. III, 24 sq. V, 8-10. 2 Cor. V, 21. Gal. III, 13. Ephes. I, 7. V, 2. Col. I, 20. 1 Tim. II, 5): *Petrus* eum agnum purum et immaculatum adpellat (1 Ep. I, 18 sq. II, 24); *Ioannes* sanguine eius peccata mundi ablui testatur (1 Ep. I, 7. II, 2); epistolae ad *Hebraeos* auctor omnia, quae ad sacrificia pro peccatis oblata pertinent, a Iesu in templo caelesti peragi scribit (IV, 14 sq. VI, 20. VII, 27. VIII, 1 sq. IX, 13 sq. X, 1-10) *b*). Neque tamen dissimulant auctores sacri, hanc mortis Iesu Christi vim expiatoriam imprimis ad peccata contra legem Mosaicam referendam, veroque nouae religionis discipulo victima qualicunque non amplius opus esse (Rom. V, 8. Hebr. IX, 15. X, 26. Col. VI, 22. 1 Petr. II, 24) *c*).

- a) Conueniant, quae Iosephus testatur de doctrina Ioannis baptistae (antiquit. lib. XVIII. c. 5. §. 3.): Deo acceptum iri lanaerum, cum eo non ad expiationem criminum vterentur, sed ad corporis munditiam, τῆς ψυχῆς δικαιοσύνη πρὸς καθαρεύς.
- b) Nota inprimis loca Matth. XX, 28. 2 Cor. V, 21. Gal. III, 13. 1 Petr. II, 24. 1 Tim. II, 24 sq. Hebr. IX, 28. quibus vicariae satisfactionis notionem inesse nemo facile negauerit.
- c) Löffler über die kirchliche Genugthuungslehre. Züllichau 1796.

§. 113.

Continuatio doctrinae biblicae.

Redux denique e sepulcro Iesus nouam iterum eamque multiplicem causam peccatorum remissionis secundum literas sacras continet. Immunitas enim a poenis malefactorum nonnullis in locis deriuatur e resurrectione Christi (Rom. IV, 25. VIII, 34. 1 Petr. I, 3); alia sententia prouocat ad exaltationem Messiae ad dextram numinis (Actor. V, 31); tribus locis ad intercessionem Iesu pro hominibus coram Deo ablegamur (Rom. VIII, 34. Hebr. VII, 25. 1 Ioh. II, 1); binis autem sanguine Christi sanctuario vasisque caelestibus adperso a peccatis mundi fieri dicimur (Hebr. IX, 23. XII, 24).

Neque mirum: Indaeorum enim expiationes atque lustrationes secundum legem Mosaicam tam diuersis modis atque rationibus peragebantur, vt Iesus moribundus atque rediuuius, cum victima et summo sacerdote semel comparatus, in multiplices etiam imagines et allegorias indui et transfigurari debuisset.

M. *biblische Theologie* tom. III. p. 122 sq.

§. 114.

Doctrina ecclesiastica de remissione peccatorum.

Ex his aliisque locis contexta est doctrina ecclesiae de remissione peccatorum, quam *actum Dei* esse aiunt, quo homines peccatores propter meritum Christi culpa, tum mortis aeternae metu liberat. Bene meritus autem est seruator de genere humano primum obedientia actiua, vel plena legis impletione, vicario nomine pro hominibus suscepta (Matth. V, 17. Rom. X, 4. Gal. IV, 4 sq.): deinde obedientia passiuia, vel actu sacerdotali, quo peccata mundi in se transtulit, poenas meritas luit, et sanguine ac morte debita hominum expunxit (Ies. LIII, 4. Matth. XX, 28. Rom. V, 10); vltimum intercessionem, vel actionem Iesu Θεανθρώπου, qua pro electis apud patrem voce et meritorum ostensione interpellat, ita tamen, vt mai-

M

statem suam haud imminuat (Rom. VIII, 34. Hebr. VII, 27). Hoc merito triplici satisfecit Christus pro omnibus omnium hominum, angelis tamen exceptis et Iesu ipso, peccatis et poenis eorum praeteritis atque futuris (Tit. II, 14. Gal. III, 13. 1 Ioh. II, 2).

Melanchthon loc. theol. pag. 560. de satisfactione: Libri symbol. p. 380. de confessione: Quenstedt tom. II. p. 323 sq. Seiler über den Versöhnungstod Christi, ed. 2. Erlang. 1782.

§. 115.

Illustratio doctrinae critica; remissio peccatorum in dubium vocata.

Docet autem historia, in hac doctrina, quae tranquillitati conscientiae sapienter consulit, cum aduersarios, tum pios doctores ipsos, ingenia multiplici ratione exercuisse. Dubitauerunt enim primum vel nostris temporibus de remissione peccatorum in vniuersum, quam non, nisi improprie et allegorice locum habere posse contendunt. Ductam esse remissionis imaginem a regibus humanis, a legum suarum rigore salutari interdum haud sine reipublicae incommodo recedentibus; numinis contra leges iustissimas adeoque irreuocabiles esse; poenarum Dei, quas arbitrarias vocant, metum euangelio ipso profligari (Rom. VIII, 15.

1 Ioh. IV, 18), naturales autem vel post mentis emendationem remanere; vitae humanae momenta omnia et singula officio et virtuti addicta esse, ita vt debitum semel contractum noui meriti superabundantia expungi plane nequeat; praetereaque longa experientia teste, fidem hominum in peccatorum remissione et absolute collocatam virtutis nervos incidere, iniustitiae et vitiositatis fomitem fouere, et scelestos, quibus facinorum venia tam facilis paratur, ad noua subinde flagitia prouocare.

Süßkind über die Möglichkeit der Sündenvergebung in libro *Flattii*: Magazin für christliche Dogmatik und Moral. p. I. pag. 1 sq. *Flatt* philosophisch - exegetische Untersuchungen über die Lehre von der Versöhnung. Götting. 1797. §. 31 sq.

§. 116.

Obiectiones aduersariorum doctrinae de satisfactione.

Maiorem adhuc obiectionum numerum congersere in doctrinam ecclesiasticam de satisfactione per meritum Christi pro peccatis hominum praestita. Monuerunt enim, omnem hac de re sententiam niti comparatione mortis Iesu Christi cum sacrificiis piacularibus a), origine humanis, et a saluatore ipso

relectis (Marc. XII, 33); improprie de Paulo etiam (Col. I, 24. 2 Tim. II, 10) et Iohanne b) dici; eos in gratiam suorum vitam posuisse; Iesum complevisse legem Mosaicam doctrina, sed nunquam implevisse eam factis; reatus et poenae notiones personae limites nunquam egredi, adeoque etiam in alium, innocentem praesertim, transferri non posse; intercessionem Christi pro hominibus, dignitati numinis parum convenientem, ad pontificis Iudaeorum preces in sanctuario oblatas, adumbratam; et fiduciam in victima qualicunque collocatam virtutis et verae pietatis impedimentum et remoram esse, a religionis doctrina meliori ocyus serius remouendam c).

a) *Biblische Encyclopaedie*. Gotha 1793. v. Opfer.

b) Τὸν σὸν θάνατον ἐκὼν ὑπομενῶ, ὡς ὁ Κύριος τὸν ὑπὲρ ἡμῶν, ὑπὲρ σοῦ τὴν ψυχὴν ἀντιδῶσω τὴν ἐμὴν. Vide totum locum apud *Eusebium* H. E. I. III. cap. 23.

c) *Eberhard* Apologie des Socrates. t. II, 248 sq. *Bakrdt* Apologie der Vernunft durch Gründe der Schrift unterstützt in Bezug auf die christliche Versöhnungslehre. Basel 1781. *Henke* lineamenta §. 107 sq. *Löffler* von der kirchlichen Genugthuungslehre. Züllichau 1796. *Niemeyer* Briefe an christliche Religionslehrer. Halle 1797. tom. II. p. 181 sq.



§. 117. *Remissio peccatorum vindicata.*

Responderi autem potest ad primum (§. 115) dubitationum genus, remissionem peccatorum imaginem esse quidem, notione tamen minime vacuam, quum iustitia diuina omnis in bonitatem (§. 43 sq.) desinat; consecraria peccati externa, si vel post mentis emendationem remaneant, formam tamen poenarum amittere propter internum animi habitum in melius correctum; peccatum ipsum infectum non fieri, culpam tamen noua, quae induitur, mente (Ephes. IV, 22) minui et virtutis incremento sensim elui posse; veram animi peccato corrupti mutationem absque poenitentia et conscientiae morsibus, qui maximae poenae vice sunt, locum vix habere (Psalm. XXXII, 5. Matth. XXVI, 75. Act. IX, 9 sq.); et abusibus ecclesiasticis iustum doctrinae vsum moralem nunquam irritum fieri. Quapropter grati amplectimur euangelii beneficium, quo docemur (Luc. XXIV, 47. Ephes. I, 7), ordinem rerum moralem ita esse instructum, vt vero religionis studio feruentes ex errorum et peccatorum tenebris emergere, cum numine in gratiam redire et ad libertatem filiorum Dei adspirare queamus. In hac autem sententia remissionis

peccatorum arcem sitam esse, nemo facile negauerit.

Kant Religion innerhalb der Gränzen der Vernunft. p. 87 sq. Seiler die Religion nach Vernunft und Bibel in ihrer Harmonie. Erlang. 1798. p. 233 sq. m. religiöse Moral. Göttingen 1800. §. 127 sq.

§. 118.

Respondetur ad dubitationes de satisfactione Christi.

In altera doctrina de satisfactione (§. 114.) insunt quidem nonnulla, quae difficultatibus premuntur, aegerrime remouendis (§. 116). Observari tamen meretur, sacrificii imagine sapientem forte, peccatorem autem metu numinis trementem vix, vel nunquam carere posse a); Pauli et Iohannis calamitates omnino in commodum suorum susceptas esse; Christi obedientiam, quam actinam adpellant, reconciliatis egregium nouae pietatis exemplum praebere (1 Petr. II, 21 sq.); culpam peccatoris non tam morte Christi ipsa, quam fide in saluatoris moribundi, cuius recordatio vel mentem durissimam emollit, innocentia et sanctitate collocata, adeoque egregio emendationis subsidio, minui et sensim auferri; intercessione Christi apud patrem tene-
rum soteris optimi erga suos adfectum

(Ioh. XVII, 20 sq.) rudioribus etiam ante oculos poni; et vniuersam mortis Christi cum victima piaculari comparationem iam ab apostolis ita institutam esse, vt animos per imaginum et allego-
 riarum vmbras ad puriorem Dei cultum euehere debeat (Ioh. IV, 23 sq. Ephes. IV, 15 sq. 1 Petr. II, 5). Cauendum itaque erit doctoribus Christianis primum, ne literae dogmatis inhiantes ad Leuitarum ministerium cruentum descendant; deinde, ne, animis auditorum veterum moralem excutientes, conscientiam eorum turbent, aut vulnerent (1 Cor. VIII, 11) b).

a) *Facile est otiosis, fingere ista somnia de dilectione, quod reus peccati mortalis possit Deum diligere super omnia, quia non sentiunt, quid sit ira, aut iudicium Dei. At in agone conscientiae et in acie experitur conscientia vanitatem illarum speculationum philosophicarum. Apolog. confess. p. 66.*

b) *Schlegel über den nächsten Zweck des Todes Jesu, und wie derselbe noch zu unsrer Zeit zur Beruhigung der Menschen in der Vergebung der Sünden anzuwenden sei: in Henke's neuem Magazin tom. II. p. 118 sq. Löffler, der Todestag Jesu, ein Tag der allgemeinen Ver-söhnung: in s. neuen Predigten tom. I. Jena 1801. p. 131 sq. Doederlein christlicher Religionsunterricht, fortges. von Junge tom. XI. Nürnberg 1802. p. 118 sq.*

§. 119.

Doctrina biblica de iustificatione.

Nouam huic doctrinae de venia peccatorum et salute per Christum obtinenda formam induit *Paulus* cum Iudaeis de iustitia coram Deo obtinenda disserens. *Iustus* nimirum in libris sacris primum ille adpellatur, qui legi conuenienter agit (Gen. VI, 9. XVIII, 19); deinde is, qui legem Mosaicam factis exprimit (Matth. V, 20. Rom. X, 3); iustificari est a culpa immunem pronuntiari (Prou. XVII, 15. Luc. X, 29. Rom. II, 13); iustificatio denique actum denotat numinis forensem, quo hominem propter Christum a peccati poena liberatum futuris praemiis dignum iudicat (Rom. I, 17. IV, 25). Urget autem apostolus contra Iudaeos hanc inprimis sententiam, homines non propter obedientiam legi Mosaicæ præstitam (Rom. III, 26. 27. Ephes. II, 8 sq.), sed propter fidem in Iesu doctrina et morte collocatam (Rom. III, 28. IV, 16. Gal. V, 2 - 5), quam amoris (1 Cor. XIII, 13) omniumque virtutem fontem esse pronuntiat (Rom. III, 31. VI, 4 sq. Gal. V, 6. VI, 15), iustos iudicari. Quæ quidem doctrina, si ad sensum idoneum reuocetur, in hanc coire videtur sententiam, homines neque stirpe ab Abrahamo ducto, neque legum Mosaicarum obseruantia, sed recte facto-

rum (Rom. II, 14 sq.), quae inprimis ab euangelii praeceptis pendent (Rom. I, 16), conscientia Deo gratos et acceptos fieri (Actor. X, 35).

Witsii miscellan. sacra tom. II. p. 524 sq. m. biblische Theologie tom. III. p. 112 sq. Meyer Entwicklung des Paulinischen Lehrbegriffs. Altona 1801. p. 212 sq.

§. 120.

Doctrina ecclesiastica de iustificatione.

His fundamentis superstructa est doctrina ecclesiae nostrae de iustificatione, quam actum gratiae esse dicunt, quo Deus peccatori credenti et conuerso propter meritum Christi peccata remittit et iustitiam Christi imputat ad salutem aeternam (Rom. V, 18). Causam iustificationis externam ponunt in satisfactione Christi plenaria (Rom. III, 25 sq.); internam in beneuolentia et misericordia diuina (Rom. III, 24. Ehes. II, 8). Iustificari a Deo peccatores in Christum credentes omnes, etiam poenitentes V. T. (Act. X, 45. XV, 11). Remedia salutis vel *ὁτίκια* esse, euangelium et sacramenta (2 Cor. V, 19. Gal. III, 27); vel *λήπτικα*, meritum Christi et fidem (Ioh. I, 12. Gal. III, 14). Iustificari homines sola fide, non operibus (Rom. III, 28. Gal. II, 16); fidem tamen, si genuina fuerit, bonae vo-

luntatis esse genitricem, adeoque virtutes Christianas, ceu fructus mentis melioris, comites sibi adiunctas habere (Gal. V, 6. Iacob. II, 24).

Augustan. confess. art. 4. p. 10. apolog. confession. pag. 60 sq. *Melanchthon* loc. theol. p. 422 sq. artic. Smalcald. XIII. p. 335 sq. form. concord. p. 583. 682 sq. *Seiler* vom Versöhnungstode Jesu. Erlang 1782. p. II. pag. 279 sq. *Storr* Abhandl. zum Brief an die Hebräer. Tübingen 1789. *Planck* Geschichte des protestantischen Lehrbegriffs tom. IV. p. 469 sq.

§. 121.

Epicrisis doctrinae.

Fuere quidem, qui vel in hac doctrina aegre ferrent, formulam iustificationis forensem institutioni Iesu Christi simpliciori de hominibus per mentis emendationem saluandis (Matth. IV, 17. Ioh. III, 15 sq.) anteponi; virtutis studium, quo religio omnis animatur (Matth. VII, 16), contemni, quid quod a fanaticis doctoribus damnari; omnemque fere hominis Christiani prouinciam ad fidem historicam de Iesu meritis nudamque eorum perceptionem reuocari. Meminisse tamen iuuat, Lutherum hac sententia primum Christianos publice a satisfactionibus ecclesiasticis ad hominis interni curam et studium reducere; vir-

tutes externas, nisi a fide processerint, ab inani ostentatione plerumque non longe abesse; veramque fidem in Deo et Christo positam animi vitiis solam mederi, purumque in eo virtutis et pietatis fontem aperire posse. Quae omnia satis docent, praeceptum euangelicum de modo iustitiae coram Deo obtinendae (Rom. I, 17) vel nostris temporibus ceu palladium theologiae christianae reuèrendum esse.

Paulus im neuen theolog. Journal tom. VII. p. 211 sq. *Schmid* über christliche Religion p. 313 sq. *Veltusen* Magazin t. III. p. 107 sq. *Flatt* Magazin für christliche Moral und Dogmatik p. I. pag. 219 sq.

PARTITIO IV.

DE

SANCTIFICATIONE HOMINIS RECONCILIATI.

§. 122.

Doctrina biblica de sanctificatione.

Homines fide cum Deo reconciliati fauente numine denique *virtuti in dies magis studere* (§. 102) *locumque inter sanctos occupare debent* (Act. XXVI, 18). Docent nimirum libri. V. T., admonitionem hominum de peccatis (Gen. VI, 3), sapientiae et virtutis cognitionem, viresque ad recte agendum a Deo et spiritu eius repetendas esse (Psalm. LI, 8-17. Prov. II, 9. XXX, 7. Ioel III, 2 sq. Ierem. XXXI, 35. XXXII, 59. Sap. Sal. VII, 21. VIII, 4 sq.), hac nimirum lege, ut vltimam conuersionis et emendationis animi, quae alias a libertate humana pendet (Ies. I, 16 sq. Ezech. XVIII, 31), rationem in numine quaerendam esse ostendant (Ierem. XVII, 14. XXXI, 18). Iesus cum apostolis eandem mentis conuersionem, sub nouae generationis imagine adumbratam (Ioh. III, 5-8. Tit. III, 5), Deo et spiritui eius vindicant (Ioh. VI, 44. 1 Cor. III, 5 sq. 2 Cor. III, 3 sq. IX, 8. Gal. IV, 6 sq. V, 5 sq. Phil. I, 6. II, 13)

et inter hunc atque fideles commercium quoddam coeleste intercedere testantur (Rom. VIII, 14-16. 2 Cor. III, 5 sq. Ephes. I, 13. IV, 30). Quae quidem beneficia interdum *gratiae* (Ioh. I, 17. Act. XIV, 3. Rom. VI, 14. Gal. II, 21), aliis in locis *conuersionis* (Ierem. XXXI, 13), *illuminationis* (Act. XXVI, 13. 2 Cor. IV, 6), *regenerationis* (1 Petr. I, 3), *sanctificationis* (1 Thess. V, 23), *habitationis diuinæ* in animis hominum (Ioh. XIV, 23. 1 Cor. VI, 17), magis vocum et nominum, quam rei ipsius diuersitate adpellantur.

Henke Magazin für Religionsphilosophie und Kirchengeschichte tom. II. p. 283 sq. *Stäudlin Dogmatik und Dogmengeschichte* pag. 661 sq. m. *biblische Theologie* tom. III. p. 147 sq.

§. 123.

Doctrina ecclesiastica de sanctificatione.

Hac auctoritate scripturae sacrae nisi, tres inprimis sententias proposuere doctores ecclesiae. *Primum* reiectis Stoicorum, Pelagianorum, Semipelagianorum et Synergistarum erroribus docuerunt, hominem post lapsum voluntate libera in rebus spiritualibus prorsus carere (1 Cor. II, 10), et propter intellectus caecitatem animique prauitatem lapide, aut trunco multo deteriorem esse, quia verbo et voluntati Dei repugnet. *Deinde*

causam emendationis efficacem solum esse spiritum sanctum, qui verbi diuini et sacramentorum auxilio intellectum, voluntatem et mentem hominis immutat et renouat, adeo vt ea, quae homo nunc conuersus bene operatur, non viribus suis naturalibus, sed nouis a spiritu diuino acceptis perficiat. Fieri tamen posse, vt iustificati hoc beneficio excendant et ad pristina peccata redeant.

Confess. August. art. XVIII. apolog. art. VIII. p. 218 sq. articul. Smalcald. p. 318. epitome articulorum p. 578 sq. solida declaratio p. 654 sq. Conf. et *Melanchthonis* locus de viribus humanis, vel libero arbitrio p. 347.

§. 124.

Continuatio.

Postremum ii, qui secuti sunt doctores, hanc spiritus sancti in emendandis hominibus efficaciam reuocauerunt ad *operationes gratiae*, quam summam actuum diuinorum esse voluerunt, qua spiritus diuinus hominibus beneficia per Christum parata offert et cum eis communicat, intercedentibus verbo diuino et sacramentis (Ephes. III, 2. IV, 17). Distinxerunt *illuminationem* (2 Cor. IV, 6), qua peccatorem vocatum per ministerium verbi notitia legis et euangelii saluari imbuunt: *conuersionem* (Ierem.

XXXI, 13. Ezech. XI, 19), qua voluntatem peccatoris illuminati frangit, conterit, sensimque amore boni replet: *unionem mysticam*, qua animum hominis tanquam templum praesentia sua implet, eumque ad perseverationem in pietate excitat (Ioh. XIV, 23. 1 Cor. III, 16. VI, 17): et *sanctificationem*, qua animum hominis in dies magis a reliquiis peccati liberat, imaginem diuinam instaurat et seruat (Rom. XV, 16. 1 Thess. V, 23. Tit. III, 5).

Calou. system. tom. X. p. 582 sq. Quenstedt t. II. p. 707 sq. Hollaz examen p. 788 sq.

§. 125.

Observationes criticae de hac doctrina.

Animaduertit tamen iam Melanchthon ad hanc doctrinam (§. 123.) *primum*, disputationes de determinatione diuina et potestate diaboli quaestioni de libertate humana non miscendas esse. Ad notionem enim liberi arbitrii pertinet omnino delectus rerum, quae subiectae sunt rationi, aut sensibus; hanc facultatem homini inesse qualicunque, qui distincta sui conscientia fruitur, teste experientia compertum habemus; libri sacri saltem, dum impios ad meliorem, quam induendam esse docent, mentem prouocant (Ies. I, 16. 2 Cor. VII, 1. Iacob.

IV, 3), libertatem generi nostro moralem vindicant, a qua sententia, inuiti licet, nec libri symbolici longe absunt, vim resistendi officio tribuentes homini, quae libertatem in spiritualibus satis prodit; hac autem si carerent mortales, merito et culpa, adeoque vel imputationi locus futurus esset nullus. Tenenda est itaque in disciplina morali sententia longe grauissima, hominem ratione instructum qualemcunque facultate voluntatis frui ad eligendum et expetendum beneficia diuina, et ad reiciendum eadem.

Erasmus de libero arbitrio diatribe 1524. Lutherus de arbitrio sermo. Vitebergae 1526. Erasmi hyperaspistes 1526. Melancthon l. c. p. 348 sq. Strigelius de libero arbitrio. Lipsiae 1564. Planck Geschichte des protestantischen Lehrbegriffs tom. II. pag. 128 sq.

§. 126.

Continuatio.

Vt ut autem conuersionem, vel sanctificationem, quam *intransitiuam* vocant, homini haud facile abnegaueris, patet tamen, eam ipsam ablegare nos ad *transitiuam*, vel actum spiritus sancti, quo mortales in emendatione animorum morali clementissime adiuuat (2 Cor. IV, 6. 1 Thess. V, 23. Tit. III, 5). Quum enim

vires hominum, cum physicae, tum ethicae, omnes a numinis nutu pendeant (§. 39); Deus ipse autem vi sua potentissima et sanctissima cuncta penetret (§. 40 sq.); et praeterea libri sacri praesentissimum eius auxilium in suscipiendo emendationis negotio promittant (Psalm. LI, 12. Ezech. XXXVI, 26. Ioh. VI, 44. Phil. II, 13 sq. 1 Cor. VI, 11); dubitatione caret, virtutis etiam humanae primordia et incrementa ad propitiam numinis voluntatem referenda esse. Incurrit autem in oculos, hoc fieri *mediate*, vel ratione *externa*, procuratione institutionis salutaris, excitatione per exempla virtutis illustria, paupertate, calamitatibus, admonitionibus amicorum et inimicorum, multisque aliis rationibus, quae Davidis, filii deperditi, Pauli, aliorumque experientia in libris sacris illustrantur.

§. 127.

Continuatio.

Minus clara obtutu primo videntur esse ea, quae de ratione *immediata*, vel *interna* produnt doctores, qua spiritus sanctus homines in mentibus emendandis adiungere dicitur. Obiiciunt enim, damnari ab ecclesia nostra Enthusiastas, qui Deum homines absque verbi sui

N

auditu illuminare docent *a*); cogitationes hominum pias ad leges psychologicas, non ad numinis efficaciam singularem referendas esse *b*); Deumque nunquam, nisi mediante experientia, ratione et conscientia in mentes hominum operari *c*). Responderi tamen potest, ecclesiam nostram etiam reiicere Naturalistas, qui suismet ipsis viribus homines puros et sanctos fieri statuunt; conscientiae motus, quamvis legibus rationalibus adstrictos, tamen ad Deum autorem referri posse *d*); rationem et conscientiam non medium quid inter hominem et Deum, sed numinis ipsius vim et vocem esse (Rom. VIII, 14 – 16. 26); et in libris sacris disertissimam hominum cum Deo commercii mentionem contineri (Ioh. XIV, 23. Rom. V, 1. 2 Cor. VI, 16 – 18. Phil. II, 13 sq.) *e*). Quibus omnibus hoc saltem efficitur, ingenium etiam et mentem nostram, a numine pendere, eique ceu templum et simulacrum dedicatum esse debere.

a) LL. SS. in *epitome articulorum* p. 581.

b) Kant *Anthropologie* p. 13 sq. ed. 1. *Dessen Religion innerhalb der Gränzen der bloßen Vernunft.* p. 251 sq.

c) *Niemeier Briefe an christliche Religionslehrer* tom. III. p. 160 sq.

d) Es muß euch völlig einerlei seyn, zu sagen: *Gott hat es weislich so gewollt, oder die Natur hat es weislich so gewollt.* KANT Kritik der reinen Vernunft pag. 727.

e) *Junkheim* von dem Uebernatürlichen in den Gnadenwirkungen. Erlang. 1772. *Storr* de spiritus sancti in mentibus nostris efficientia. Tubing. 1777. recus. in opusc. theologicis. *Spalding* vom Werthe der Gefühle im Christenthum, Lipsiae 1784.

§. 128.

Conclusio.

Dissimulari enim nequit, discrimen, quod inter externam et internam, mediatam et immediatam spiritus sancti operationem ponunt, magis ad ingenium humanum, quam ad rem ipsam pertinere. Sufficit itaque docere, Deum hominis emendationem et sanctificationem adiuuare *primum*, sensus bonos in mente excitando (Matth. XXVI, 75. Luc. XV, 16); *deinde* lucem cognitionis melioris promouendo (Act. XVI, 14); *mox* voluntatem veri et religionis vi flectendo (Ioh. III, 5. Act. XXVI, 18. Iac. II, 12); *postremum*, semina virtutis in mente alendo, fouendo et ad fructus laetos maturando (Luc. XXII, 32. 2 Tim. III, 17. 2 Petr. I, 3).

Quamuis enim in moralibus virtus et pietas libertati humanae vindicetur; tenebit tamen theologus alio respectu sententiam, sanctam etiam animi nostri conditionem Dei opus esse (Ephes. II, 10. Phil. II, 12 sq.).

J. A. Cramer über die außerordentlichen Erweckungen der Menschen zur Bekehrung und Heiligung: in s. neuen Sammlung einiger Predigten. Kopenhagen 1763. tom. I. p. 507 sq. *Spalding* l. c. M. religiöse Moral §. 128 sq.

PARTITIO V.

DE

REMEDIIIS SALVTIS PER CHRISTVM
OBTINENDAE.

§. 129.

I. *Doctrina biblica de verbo Dei.*

Hanc autem insignem animi mutationem intercedentibus praesertim verbo diuino et sacramentis fieri, iam supra vidimus (§. 123). Docent nimirum literae sacrae, *verbum Dei* esse significationem voluntatis diuinae qualemcunque (Gen. I, 3. Deut. VIII, 3. Ps. XXXIII, 6), cum in rerum natura, tum in mente humana, tum in virorum sacrorum institutione obuiam. Verbum Dei *naturale* praedicant Dauides et Paulus (Psalm. VIII, 4 sq. XIX, 2 sq. CXIX, 89. Rom. I, 19 sq.); *rationale*, vel internum, animis humanis inditum, viri sacri summis laudibus prosequuntur (Deut. XXX, 12. Ierem. XXXI, 33. Ioh. VI, 63. Rom. X, 8. Hebr. VIII, 10); *promulgatam* autem a viris sanctis *doctrinam* de rebus caelestibus verbi diuini honore ita ornant, vt non Mosis solum (Deut. XVIII, 19. 2 Sam. XII, 9), sacerdotum et vatum (1 Sam. III, 1 sq. Ies. II, 3. Ierem. I, 9.

XXII, 29), Iesu et apostolorum (Ioh. V, 24. XIV, 10. XVII, 17. 1 Thess. II, 13), sed omnem in vniuersum de religione et regno Dei institutionem (Mich. VI, 8. Sap. Sal. XVI, 26. Sir. VI, 35. Luc. VIII, 11. 21. Ioh. VIII, 47), Christianae ecclesiae inprimis (Act. VI, 17. XII, 24), ad effatum diuinum referant. Huic verbo diuino, a ieiunitate literae seiuncto (Ioh. VI, 62 sq. Rom. VII, 6. 2 Cor. III, 6), vim caelestem ad peccatores cum arguendos (Ierem. XXIII, 29. 1 Petr. I, 23 sq. Hebr. IV, 12), tum saluandos et salutari cognitione imbuendos (Rom. I, 16. 1 Cor. I, 18) inesse docent.

M. *biblische Theologie* tom. III. p. 155 sq.

§. 130.

Doctrina ecclesiastica de verbo Dei.

In ecclesia nostra has notiones bibli-
cas adeo coarctauerunt, vt reiectis Enthusi-
astis, qui se ante scripturam, vel vocale
verbum, spiritum in scrinio pectoris sui
habere iactitant a), verbum diuinum ad
solum legis et euangelii complexum, per
viros Θεοπνεύστους nobis communica-
tum referant. Legem in vniuersum esse
doctrinam diuinitus reuelatam, quae
doceat, quid iustum Deoque gratum sit;
et dispesci in *Mosaicam* vel *positiuam*,
a Christo abrogatam (2 Cor. III, 7. Col.

II, 14), et *moralem*, quae immutabilem Dei voluntatem reuelet et per euangelium illustretur atque declaretur (Matth. V, 17). *Euangelium* in vniuersum esse concionem de poenitentia et remissione peccatorum (Marc. I, 4. Act. XX, 21); in specie autem doctrinam de gratia diuina per Christum nobis parta et fide consequenda (Marc. XVI, 15. Luc. XXIV, 47); quae, ne in legem iterum transformetur, magnopere obtestantur libri symbolici b). Verbum Dei in vtroque foedere obuium instructum esse vi, non morali, sed supernaturali, ad hominem illuminandum et conuertendum, quae nititur vnione mystica cum spiritu sancto (1 Cor. II, 4. 13. Ioh. VI, 63. Hebr. IV, 12) c).

- a) *Artic. Smalcald.* de confessione p. 331 sq. Conf. solid. declar. p. 828 sq.
- b) *Apolog.* Conf. p. 83 sq. epitome articulo- rum p. 591 sq. solid. declarat. de lege et euangelio p. 709 sq.
- c) *Calou.* system. tom. X. p. 1 sq. *Quenstedt* tom. II. p. 926 sq. *Walch* Einleitung in die Religionsstreitigkeiten der Lutherischen Kirche tom. I. p. 524 sq. de controuersia cum Rathmanno.

§. 131.

Vberior huius doctrinae tractatio. De verbo Dei naturali et rationali.

Quae quidem omnia, quamuis haud sine acumine disputata sint, negari tamen

nequit, nonnulla ad hanc doctrinam addi posse, cum *naturae* verbi diuini, tum *discriminis* inter legem et euangelium, tum denique et *vis*, qua operari solet verbum diuinum, ratione habita. Ad *naturam* enim verbi diuini quod attinet, docemus, notionem eius absolui *complexu earum doctrinarum*, quas *ceu decreta voluntatis diuinae venerari argumentis idoneis cogimur*, siue e *consideranda rerum natura*, vel *sana ratione*, vel *libris sacris* deriuentur. De *natura rerum*, quae in oculos incurrit, testantur auctores sacri, eam loqui sapientiam numinis, quae homines ad recte viuendum excitet (Psalm. VIII, 4 sq. XIX, 2 sq. Rom. I, 19). *Rationi sanae*, vel *conscientiae regulam aeternam mentis diuinae impressam esse*, patet, cum ex auctoritate scripturae sacrae diserta (§. 129); tum ex *natura veritatis qualiscunque*, quae ad solam rationis normam examinari et in vsus nostros conuerti potest (Ioh. VII, 17); tum denique ex ipsis reformatorum testimoniis, quibus ad verbum Dei aeternum, idque non scriptum, prouocant a). At enimvero, quum ratio humana, quae sine experientiae auxilio facultas nuda est, institutione aliena demum excoli debeat, clarum est etiam, verbi interni, quod vni, vel alteri e sapien-

tibus inesse putemus b), persuasionem imbecilles facile ad fanaticas opiniones abripere posse c), adeoque auctoritatis externae beneficio quam maxime indigere.

a) Apologia confessionis Augustanae mentionem iniicit legis aeternae et longe positae supra omnium creaturarum sensum et intellectum p. 84. Melanchthon in examine eorum, qui audiuntur ante ritum ordinationis (loc. th. p. 695), docet: legem moralem esse aeternam et immotam sapientiam et regulam iustitiae in Deo, patefactam hominibus in creatione et postea saepe repetitam et voce diuina declaratam.

b) Σοφους θελους ειναι, εχειν γαρ εν εαυτοις διουελ θεον. Το γαρ ποιουν, τον εν αυτοις λογον ειναι τον θεον. Zeno apud Diogen. Laert. lib. VII. c. 1. §. 64 et 68. Conf. Arriani dissert. in Epictetum ed. Upton. pag. 412. 457.

c) Conf. historiam errorum Schwenkfeldii, Anabaptistarum, Weigelii, Boehmii, Foxii et aliorum apud Planckium (Geschichte des p. LB. t. V. p. I. pag. 171 sq.). Barclaium (Apologie der christl. Gottesgelahrtheit pag. 45 sq.) et Walchium in libro excitato passim.

§. 132.

De verbo externo et discrimine V. et N. T.

Magno itaque beneficio adfecit nos prouidentia diuina per *verbum externum*, vel *complexum veritatum salutarium*, quas

per Moſem et prophetas, Chriſtum et apoſtolos nobiſcum communicauit. Quamuis enim his libris reliquae institutiones diuinae (§. 131) haud ſecludantur, neque etiam omnia in eis obuia ſenſum diuinum exprimant (1 Cor. VII, 6 ſq.); ſententias tamen continent quamplurimas, quod ad originem et argumentum diuinas (§. 12), et eccleſiam Chriſtianam ſibi ita adligatam habent, vt religionis publicae lineamenta ducant, lites ſubinde orientes componant (§. 21) et lectores ad veram perfectionem ingenii et animi in dies magis prouehant (Ephes. IV, 31 ſq.). Cauendum eſt tamen, ne euangelium a lege ſola remiſſionis peccatorum doctrina, de qua iam prophetae optime docuerunt (§. 112), differre putemus. Verum enim vtriuſque foederis *diſcrimen* hoc eſt, vt religionem Mosaicam *institutionem legis poſitiuae et imperfectae cum cultu Dei externo et arbitrario*, religionem Chriſtianam autem *institutionem legis moraliſ perfectae et cultus Dei interni atque ſpiritualiſ* (Matth. V, 17. Ioh. IV, 23 ſq.) continere perſuadeamur. Quae cum ita ſint, patet vltro, libros noſtros ſacros ita ſemper tractandos eſſe, vt ſecundum hanc V. et N. T. differentiam, eamque ipſam, ad quam Paulus iam ablegauit (2 Tim. III, 15 ſq.), caeleſtis veritatis

notam, verba diuina et humana forte in
iis obuia cautissime separentur (§. 18).

Töllner kurze vermischte Aufsätze tom. II.
pag. 84 sq. *Hufnagel* die Schriften des A. T.
nach ihrem Zweck und Inhalt bearbeitet.
Erlangen 1784.

§. 133.

De vi et efficacia verbi diuini.

Restat, vt vim et efficaciam notemus,
qua verbum diuinum animos hominum
tangere et adficere solet. Hanc autem
ab vnione scripturae sacrae mystica cum
spiritu sancto deriuandam esse non cen-
semus, tum propter obscuram rei notio-
nem, tum etiam propter scripturae et
literarum naturam symbolicam, quae
arbitraria est et ab ingenio diuino aliena.
Facilior est sententia, qua veritatibus,
religionis doctrinam continentibus, vim
diuinam et hominibus superiorem inesse
statuitur (Matth. VII, 29. Ioh. III, 21.
VII, 46); quam, si psychologice consi-
deres, rationalem et moralem, si theo-
logice spectes, caelestem et supernatu-
ralem esse vix negaueris. Posteriores
denominationem amplectuntur scripto-
res sacri (Rom. I, 16. 1 Petr. I, 23. Hebr.
IV, 12), a quorum iudicio cur disceden-
dum sit, non intelligimus.

Spalding vom Werthe der Gefühle im Chri-
stenthume pag. 69 sq.

§. 154.

II. *De sacramentis doctrina biblica in vniuersum.*

Neque tamen verbo diuino solum credentibus obtingere docetur gratia euangelica, sed *sacramentis* etiam (§. 129), quae in vniuersum spectata *actus solennes sunt ad religionem pertinentes*. Referunt autem in numerum eorum e V. T. *circumcisionem* (Gen. XVII, 15 sq.), sobolis procreandae (Act. VII, 8), vel munditiae causa *a)* primum susceptam; et *agni paschalis* mactationem (Exod. XII, 1 sq.), quibus et sacrificia nonnulla facile addere potuissent. Sub initia nouae religionis Iesus instituit *baptismum*, vel sacramentum initiationis: sub vitae finem autem addidit *coenam sacram*, vel sacramentum confirmationis. Hac enim *sacramenti* voce insignitum est institutum Iesu ytrumque, ad *mysterii* quod ei inesse putabatur, sanctitatem exprimendam *b)*, hac tamen lege, vt hoc nomine et alii subinde actus ecclesiastici distignerentur, e quibus *poenitentiam* et *ordinationem sacerdotum* vel nostrorum adhuc sacrorum instauratores inter sacramentorum numerum retulerunt *c)*.

a) Conf. *Tournefort voyage du Levant*. Amsterdam 1718. tom. II. p. 40. cum libro: *Cook dritte Entdeckungsreise* übersetzt

von G. Forster. Berlin 1787. tom. I. in 4.
pag. 280.

b) Vide versionem vulgatam ad Ephes. V. 32.

c) *Apolog.* [conf. p. 167. 200. et *Melanchthor.*
de numero sacramentorum in loc. theo-
log. 515 - 17.

§. 135.

Doctrina ecclesiastica de sacramentis.

Serius tamen sacramenti notionem ita constituerunt, vt sit actus sollemnis a Deo institutus, quo per symbolum in credentes, qui in eius societatem veniunt, gratia diuina confertur. Distinguunt materiam caelestem, vel gratiam diuinam; et terrestrem, rei spiritualis ὀχημα, quam vtramque vñione mystica, vel sacramentali coniunctam esse contendunt. Pertinet autem ad plenam sacramenti administrationem, recitatio verborum institutionis, dispensatio symboli et acceptio, qua re differt a sacrificio, cuius nomen improprie demum in sacramentum quadrat. *Finis* sacramentorum non hic est, vt ex opere operato iustificent, sed oblatio gratiae euangelii, nota professionis inter homines, et coniunctio animorum ad amorem mutuum.

August. Conf. de vsu sacramentorum p. 13.
Apolog. conf. p. 156 sq. de sacrificio p. 253.
Calou. system. tom. IX. p. 88 sq. *Quenstedt*
tom. II. p. 1031 sq.

§. 136.

A. Doctrina ecclesiastica de baptismo.

Lotiones corporis a populis orientis iam a longissimis inde temporibus cum religione coniunctas fuisse, multa V. T. loca docent (Gen. XXXV, 2. Exod. XIX, 10-14. 2 Reg. V, 14). Post reditum e captiuitate Babylonica non gentiles solum, in semiudaeos conuersi *a*), sed singularum etiam sectarum inter Iudaeos discipuli lustratione sacra initiati sunt *b*). Quapropter Iesus sub initium muneris sui non se ipsum solum baptizari curauit (Matth. III, 15), sed discipulos etiam suos, apostolis exceptis, omnes hunc ritum subire iussit (Matth. XXVIII, 19. Marc. XVI, 16), hac nimirum lege, vt suam religionis doctrinam profiteantur (Matth. XXI, 25. Act. VIII, 12. 37. XIX, 5), eique debitam obedientiam spondeant (Rom. VI, 3 sq. 1 Petr. III, 21). Docent quidem auctores sacri, baptismo remissionem peccatorum (Act. II, 38), mentisque renouationem (Tit. III, 5), ceu gratiae diuinae documenta adiuncta esse; ita tamen, vt haec beneficia magis a fide (Marc. XVI, 16. Ioh. III, 5), et conscientiae puritate (1 Petr. III, 21), quam ab externo baptismi ritu pendere pateat.

a) Confer cum nota *Danzii* dissertatione de baptismo proselytorum *Pauli* commentarium in N. T. ad Matth. III, 6. Proselytos portae tamen aqua sacra prolutas fuisse testatur locus disertus *Mischnae* פסחים cap. VIII. §. 8.

b) *Calvoer* rituale Vol. I. p. 193 sq. *Herder* christliche Schriften, Samml. V. p. 135 sq. m. biblische Theologie tom. III. p. 52 sq.

§. 137.

Doctrina ecclesiastica de baptismo.

Exinde nata est doctrina ecclesiastica de baptismo, quem actionem diuinitus institutam esse docent, qua peccatori nato et viuo, et nomen patris, filii et spiritus sancti profitenti per aquam gratia diuina offertur et adplicatur. Materia baptismi terrestris est aqua naturalis pura: caelestis spiritus sanctus (1 Cor. VI, 11), vtraque per verbum institutionis mystice vnita (Ephes. V, 26): forma autem cum immersio corporis, vel adpersio et adfusio, tum pronuntiatio verborum institutionis (Matth. XXVIII, 19 sq.). *Baptizandi* autem sunt Christiani omnes (Matth. XXVIII, 19. Marc. XVI, 16), non solum adulti, sed *infantes* etiam, cum quia vel ad eos pertinet promissio salutis, quae extra ecclesiam non est: tum quia cum peccato nati sine remissione peccatorum haeredes vitae aeternae fieri

nequeunt: *denique* propter mandatum Christi vniuersale et promissionis cum signo coniunctionem arctissimam. *Finis* baptismi est vel *internus*, collatio gratiae euangelii per fidem obtinenda (Gal. III, 27); vel *externus*, coniunctio cum corpore ecclesiae (1 Cor. XII, 13). Rite peractus, tum propter foedus Dei immutabile (Ies. LIV, 10), tum propter vnitatem regenerationis (Ephes. IV, 4), *iterandus non est*.

August. conf. art. IX. Artic. Smalcald. p. 329. inprimis Catechism. maior de baptismo p. 534 sq. Melancthon loc. theol. de baptismo infantum p. 521 sq. Calou. system. tom. IX. p. 183 sq.

§. 138.

Vberior tractatio: discrimen inter Iohannis et Iesu baptismum

Priusquam autem haec institutio curatius examinetur, considerandus erit baptismus Iohannis (Matth. III, 7. Marc. I, 4) *a*), quem nonnulli e theologis nostris *b*), haud sine probabili ratione (Ioh. I, 33), pro diuino habendum et eiusdem cum lustratione Christianorum dignitatis esse contenderunt. At enimvero, quum Iohannes baptista ipse admodum modeste de lauacro suo sentiat (Matth. III, 11. Ioh. I, 25), et Paulus nonnullos de discipulis eius nouo

baptismo perfundat (Actor. XIX, 5 sq.); clarum videtur nobis, baptismum doctoris huius Nasirii in Sabiorum magis, quam Christianorum ecclesia pro sacramento habendum esse. Differt enim ab eo baptismus a Iesu institutus, quem *actum initiationis* esse docemus, *ad mandatum Christi intercedente professione fidei et aquae usu administrandum, duntaxat ad obtinendam communionem ecclesiae externam et gratiae diuinae internam*, non auctoris solum dignitate, sed maiori imprimis doctrinae, cui animos adligare debet, praestantia (Matth. XI, 11. Luc. VII, 28), adeoque mandati vere diuini auctoritatem prae se ferre putandus est.

- a) Conf. *Iosephum* Antiq. XVIII, 5, 2. vit. auct. §. 2. et post *Norbergii*, *Walchii*, *Tychsenii* commentationes librum *Schmidtii*: Bibliothek für Critik und Exegese des N. T. part. II. p. 266 sq.
- b) *Melanchthon* (loc. theol. p. 517), *Buddeus*, *Ernesti*, *Michaelis* et alii.

§. 139.

De vi baptismi.

Vm baptismi hanc esse docent (§. 137), vt homines, adeoque et pueros saluos faciat per fidem, qua a Deo per spiritum suum donantur a), et quam, nisi discursiuam et reflexam, implicitam ta-

O

men esse statuunt Matth. XVIII, 3 sq.) b). At enimvero, quum, quid sit formula, *aqua verbo Dei inclusa*, non facile intelligamus; fides autem qualiscunque apud recens natos, qui ratione et distincta conscientia sui destituti sunt, locum habere vix possit; tutius esse videtur, in sententia Christi, rite explicata, subsistere, *saluum fore quemcunque, qui lustratione sacra ad fidem nouae religioni habendam initiatus sit* (Marc. XVI, 16). Quamuis itaque externa baptismi beneficia, quae ad societatem Christianam spectant, ad omnes baptizatos pertinere haud negaueris, vim tamen huius lustrationis *internam* inprimis a religionis vinculo, quo conscientiam fide cum Deo coniungit (1 Petr. III, 21), pendere iudices.

a) Catechism. mai. p. 539-45.

b) Herrmann Witsius miscellan. sacra t. II, 614 sq. Doederlein institut. relig. Christ. ed. V. tom. II. p. 722 sq. conf. Mori commentarium exegetico-historicum in suam theologiae Christianae epitomen edit. Hempel Vol. II. p. 509 sq.

§. 140.

De baptismo infantium et repetitione lustrationis sacrae.

Lucem adfundunt simul haec argumenta doctrinae nostris diebus iterum

agitatae de *baptismo infantium*, quem, nisi argumentis supra in medium prolati (§. 137), hac tamen ratione defendi posse existimamus, vt eum in N. T. nusquam reici, a Christiana potius antiquitate commendari a); parentes naturales et spirituales paruulorum officiis in se susceptis grauibus adstringere, infantibus lauacro sacro oblatis iura et beneficia magni momenti conferre, et omnes, qui huic lustrationi intersunt, piis sensibus adficere statuamus b). Quamobrem non in paruulis solum, sed in iis etiam, qui Christi doctrinam semel professi sunt, baptismum *repeti* superuacaneum esse iudicamus, cum propter subsequentem adolescentium confirmationem; *tum* propter firmissimam Dei promissionem (2 Tim. II, 13); *deinde* etiam propter sacramenti initiationis naturam, quae iteratione haud eget c).

- a) Vid. *Melanchthon* l. c. p. 522. *Witsius* miscell. sacra tom. II. p. 480 sq. *Vitringa* de fundamentis et rationibus paedobaptismi Christiani, in obseruat. sacr. Vol. I. p. 318 sq. *Walch* historia paedobaptismi sec. IV. prior. Ienae 1739. *Starck* Geschichte der Taufe p. 85 sq.
- b) *Troschel* die Wassertaufe der Christen ein Gesetz Christi. Berlin. 1774. m. bibli-sche Theologie tom. III. p. 66.
- c) *Ius Canon.* decreti p. II. quaest. I. c. 46. 47. de haereticorum sacramentis.

§. 141.

Ritualia baptismi.

Addimus pauca de *ritibus* huius sacramenti, primum de *administratione* ipsa, quae olim diaconis (Ioh. IV, 2. 1 Cor. I, 14), nunc rectius doctoribus ecclesiae (1 Cor. IV, 1), vindicatur, causis, quae olim baptismi maturationem flagitabant, maximam partem e medio sublatis. Deinde clarum est, homines non mortuos (1 Cor. XV, 29), sed *viuos*, neque res inanimatas qualescunque, Deo per baptismum offerri debere *a*). Eadem ratione patet, *aquae vsum*, post immersionem lustrandorum cum adspersione commutatam, neque plane omitti *b*), neque fluidis aliis qualibuscunque postponi debere *c*). *Formulam* baptismi Iesus (Matth. XXVIII, 19), et apostoli (Act. VIII, 37. X, 48), praeinere duplicem, quam tamen noua adhuc ratione variare solent *d*). *Sponsorum* iam Tertullianus mentionem iniicit *e*): *exorcismum* dualismo tandem aliquando profligato superstitem non fuisse, etiamnum laetitia excitat *f*).

a) *Epiphan.* haeres. XXVIII. *Bingham* antiq. eccles. tom. IV. p. 156 sq.

b) *Luthers* Bedenken über die Taufe ohne Wasser in opp. tom. X. p. 2614 sq.

- c) *Harduini* disputatio de baptismo in vino:
in opp. select. p. 223 sq.
- d) *Buddeus* instit. theol. p. 1121.
- e) De baptismo c. XVIII.
- f) *Kraft* Historie vom Exorcismo. Hamb.
1754. *Calvoer* rituale I, 200 sq. *Lutheri*
opp. X, 2627 sq.

§. 142.

B. *De sacra coena doctrina biblica.*

Alterum sacramentum a Iesu Christo institutum est *sacra coena*, quam paulo ante exitum e mundo paschati subiunctam esse voluit (Matth. XXVI, 18 sq. Luc. XXII, 8 sq.). Obtulit nimirum discipulis, agno paschali iam satiatis, panem vinumque hac lege, vt ille carnis, hoc sanguinis vicem, ad sacrificiorum foederis (Exod. XXIV, 3. Levit. VII, 1-18) similitudinem, expleat, et vtroque apostoli in interiorem corporis et sanguinis sui cum maxime immolandi (Matth. XXVI, 26), adeoque religionis suae (Ioh. VI, 53 sq.) societatem adducantur. Quum sacrificia foederis repeti haud soleant apud veteres, dubitauerunt nonnulli de mandato Christi (Luc. XXII, 19) a); at enimvero Pauli locus docet (1 Cor. X, 16), eandem Christi coenam iam ab apostolis in epulum sacrificiale (Exod. XII, 27. XXIII, 18) et eucharisticum conuersum

esse, quo ii, qui interfuere, omnes doctrinam Iesu profitebantur, et amoris vinculi inter se coniuncti, ad instantem proxime, vti credebatur, Christi reditum animos obfirmabant (1 Cor. XI, 26). Qua spe sensim languefacta, sacrificii et epuli mystici speciem sibi induit sensim sacra coena, qua etiamnum in ecclesia celebratur c).

- a) Eadem verba tamen iam ἐν τοῖς τῶν ἀποστόλων ἀπομνημονεύμασι deprehenderat *Iustinus Martyr*: vide apolog. I. c. 66.
- b) *Calvoer* rituale tom; I. p. 604 sq. m. *bibl. Theologie* t. II, 401 sq. III, 132 sq.
- c) *Suiceri* thesaurus ecclesiast. v. κοινωνία *Ioannes* Damascen. de orthod. fide I. IV. c. XIV.

§. 143.

Doctrina ecclesiastica de sacra coena.

Docetur nimirum, reiecta longa errorum serie a), eucharistiam esse fruitionem corporis et sanguinis Iesu Christi sub pane et vino benedicto ad remissionem peccatorum, recolendam Christi memoriam et fidem confirmandam. In hac coena corpus et sanguinem Christi vere et substantialiter esse praesentia, idque vi verborum institutionis; adeo, vt corpus et sanguis Christi non tantum spiritualiter per fidem, sed ore etiam, non tamen capernaitice, sed supernaturali et coelesti modo summa-

tur. Formam eucharistiae profligari δόσει, quae benedictionem, fruitionem et distributionem continet, atque λήψει, quae vera panis atque vini manducatione et bibitione absoluitur. Seclusis infantibus atque mente captis, admittendos esse ad coenam sacram Christianos ad fidem, quae sola dignos reddit conuiuas, idoneos omnes, adeoque et ad facinora delapsos, vbi poenitentiam egerint, quia finis huius coenae ad omnes Christi discipulos pertineat b).

- a) *Epitome articul.* p. 602 sq. *Conf. August. confess.* pag. 12 et 23. *apolog. confess.* p. 269 sq. *catechism. minor.* p. 380 sq.
 b) *Calou. tom. X.* p. 184. *Quenstedt tom. II.* pag. 1181 sq.

§. 144.

Vberior huius doctrinae tractatio.

Hac autem in doctrina, mysteriorum plena, propositiones singulae antea curatius excutiendae esse videntur, priusquam iudicium de illa in vniuersum ferri queat. Ponimus autem, sacram coenam, quae aliis etiam nominibus insignitur (1 Cor. X, 16. 20. 22. XI, 20. 26. Matth. XXVI, 27), esse solennem fruitionem corporis et sanguinis Christi in symbolis externis a Iesu hunc in finem institutam, ut, qui ea vescantur, memoriam mortis

suae recolant, et impetrata peccatorum remissione, in fide et pietate confirmentur. Pertinet itaque ad hanc notionem PRIMVM hoc, vt sacram coenam a Iesu institutam (Matth. XXVI, 28. Luc. XXII, 19. 1 Cor. XI, 24), eamque solennem (Matth. XXVI, 27. Ioh. XIII, 25) et veram fruitionem panis et vini (Matth. XXVI, 26 sq.) esse credamus, qua sententia cum priuata communio, si ab aegrotis discesseris a), tum missa, quae Christum ceu sacrificium Deo offert b), tum calicis priuatio, quae diuisio est sacramenti c), et sacrae coenae vsus mere spiritualis d), reiciuntur et e Christi ecclesia exulare iubentur.


- a) Vide Buddei institut. theolog. dogmat. p. 1212 sq. Calvoer rituale I, 763 sq. Less christliche Religionstheorie §. 196 sq.
- b) Apolog. conf. Aug. de missa p. 250 sq.
- c) Spittler Geschichte des Kelchs im Abendmahle. Lemgo 1781. conf. August. p. 21. de vtraque specie: apolog. conf. p. 233 sq.
- d) Grotius in comment. an semper communicandum sit per symbola? Planck Geschichte des protestantischen Lehrbegriffs tom. V. p. 90 sq.

§. 145.

Continuatio,

ALIA notionis de sacra coena nota haec est, vt corpus et sanguinem Christi

in symbolis externis non dilectione solum vel efficacia, sed *naturali participatione*, vel *substantia sua* adesse dicamus. Nolimus hunc sensum exsculpi neque e verbis institutionis *a*), a Iesu loco alio satis clare explicitis (Ioh. VI, 51 63), neque e verbis Pauli (1 Cor. XI, 24), qui Iesum eadem ratione, qua cum ecclesia coniunctus est, etiam in coenae symbolis adesse scribit (1 Cor. XI, 16). Testatur enim historia, ecclesiam in hac doctrina sensim ab vnione mystica primum ad physicam, deinde moralem, postremum metaphysicam processisse *b*). Docemus potius, ecclesiam nostram hac sententia, quae duplici Christi Θεανθρωπίνου naturam nititur (§. 95), et contra multas obiectiones *c*) demum praeualuit, ab aliis Christianorum coetibus differre, eaque hoc sacramentum mysterio recondere, quo sensus pii saepissime prouocari possunt, licet non vbique in notiones claras abeant *d*).

a)  quae a versione graeca in voce principe recedunt. Vid. *theolog. nostr. biblic. t. II.* pag. 399.

b) *Formul. concord.* pag. 753 sq. *Leibnitii* opp. edit. Dutens tom. I. pag. 30 sq. *m. wissenschaftlich-praktische Theologie* pag. 257 sq.

c) In Deo quid sit *quasi corpus*, aut *quasi sanguis*, intelligere non possum, ne tu quidem: sed non vis fateri. Cicero de nat. Deor. lib. I. c. 26.

d) Henke lineamenta fidei Christianae p. 214 sq.

§. 146.

Conclusio cum epicrisi.

TERTIA huius finitionis nota complectitur finem sacrae coenae, qui *recolenda memoria mortis Christi* (Luc. XXII, 19. 1 Cor. XI, 26), *obtinenda peccatorum remissione et verae pietatis confirmatione* absoluitur. Debent nimirum, qui ad hoc epulum admittuntur, omnem Iesu doctrinam, ceu panem vitae (Ioh. VI, 35. 53) in animi receptus demittere, amorem Christi erga suos (Ioh. XIII, 34) mente repetere, mortis eius beneficium pie amplecti (Matth. XXVI, 28), animosque ad sanctitatem ita componere, ne tanto bonitatis diuinae documento indigni fiant (1 Cor. XI, 29) a). Negari nequit, eam, quam nunc celebramus, coenam domini, ecclesiasticam magis esse, quam biblicam; epulas sacrificiales, allegoricas etiam, aetatis nostrae ingenio non amplius adcommodatas esse; iisque, quae hunc ritum olim circumfundebant, tenebris sacris eucharistiam aegerrime iterum inuolui posse. Insunt tamen

huic solennitati sapienter institutae tanta ad humanitatem, pietatem, mutuumque Christianorum amorem incitamenta, vt ab ecclesiae proceribus summa cura requiri debeant omnia, quae hoc *confirmationis sacramentum* coaeuis de nouo commendare queant b).

a) *Melanchthon* loci theolog. de coena domini p. 525 sq.

b) *M. religiöse Moral.* Götting. 1800. p. 160.

§. 147.

De ritualibus sacrae coenae.

In doctrina de ritibus eucharistiae pugnatum est de *pane* enzymo, et azymo, eiusque figura, cui in Polynesia nuperrime fructum arboris pani similem substituerunt a); nec non de *vino*, quod vel aqua temperare, vel lacte et aqua mellita in locis nonnullis commutare ausi sunt b). *Consecratio symbolorum* prima (Matth. XXVI, 26) erat benedictio Iudaica (1 Tim. IV, 4); mox in preces et inuocationem spiritus sancti c) conuersa verbis institutionis in nostra ecclesia cedere debuit d). *Distributionem* sacrae coenae in ecclesia antiqua antecessit fractio panis (1 Cor. X, 17), quam etiamnum nonnulli tuentur; deinde traditio symbolorum in manus eorum, qui communione fruebantur, propter

superstitionem inde ortam in nostra ecclesia abrogata. Neque defuere, qui *communione calicis* valetudini infestam esse contenderent *e*), eiusmodi tamen argumentis vsi, quae pericula inde metuenda facile praecaueri et auerti posse docerent.

- a) Die Missionssocietät in England, aus dem Englischen von *Mortimer*. Barby 1800. tom II. p. 404.
 - b) *Buddeus* de symbolis eucharisticis, in parergis historico-theologicis: *Henke* Kirchengeschichte tom. III. p. 301 sq.
 - c) *Iustin. Mart.* apolog. I. c. 93. edit. Thirlb. pag. 96.
 - d) *Epitome articulor.* pag. 599. *Calvoer.* rituale Vol. I. p. 634 sq.
 - e) *Gruner* Almanach für Aerzte fürs Jahr 1783. p. 87 sq. fürs Jahr 1785. p. 159 sq. Conf. *Gmelin* Reisen nach Sibirien. Göttingen 1752. tom. II. p. 161 sq.
-

PARTITIO VI.

DE

ECCLESIA CHRISTIANA.

§. 148.

De ecclesia doctrina biblica.

Homines ad hunc salutis ordinem coniuncti (§. 102), societate sua constituunt *ecclesiam*, cuius ante Mosem (Exod. XIX, 6. Deut. XXIII, 2-9) in libris sacris mentio occurrit nulla. Hoc tamen legislatore auspice formam obtinuit *aristocratiae hierarchicae* (Exod. XXVIII, 1 sq. XXXIII, 7), cuius socii leges politicas aequae ac morales omnes (Exod. XX, 1 sq.) Iehouae nomine promulgabant, reges inaugurabant (1 Sam. X, 1 sq.) et deponebant (XV, 26 sq.), et post cultum Leuiticum etiam cum publica in synagogis institutione coniunctum a) rerum civilium et spiritualium administrationem constitutione hierarchica in synedrio suo miscebant. Iesus primum, vtraque republica separata (Matth. XX, 25 sq. Ioh. XVIII, 36), ecclesiam ad hominis interni curam verumque Dei cultum reuocauit (Ioh. IV, 23 sq. Matth. XVI, 18. Luc. XVII, 20 sq.). Vestigia autem doctoris diuini ita presserunt apostoli, vt sepositis ne-

gotiis politicis, recens conuersos in rempublicam ethicam atque spiritualem convocarent (Act. II, 41 sq. IV, 32 sq.), quae magistratibus ciuilibus summam quidem obedientiam praestitit (Rom. XIII, 1 sq. Tit. III, 1 sq.), in religione tamen externa (Act. XV, 2 sq. 1 Cor. XIV, 1 sq.), disciplina (1 Cor. V, 3 sq.), et institutione publica administranda (Act. VI, 2 sq. XV, 22 sq.) iure suo vsa est, idque, constitutione fere democratica, non ab apostolis solum, sed a totius ecclesiae consensu repetiit b).

a) *Vitringa* de synagoga vetere. Franequerae 1696.

b) *Ziegler* Versuch einer pragmatischen Geschichte der kirchlichen Verfassungsformen in den sechs ersten Jahrhunderten. Leipzig 1798.

§. 149.

Doctrina symbolica de ecclesia.

Tantis itaque viris ducibus vsi doctuerunt, *ecclesiam esse congregationem sanctorum, in qua euangelium recte docetur et sacramenta rite administrantur. Vnam et catholicam dici, non propter rituum aut traditionum vnitatem, aut politiam rerum externarum, sed quia homines continet, per totum orbem sparsos, qui de euangelio consentiunt, eundem*

spiritum sanctum et eadem sacramenta habent. Hanc societatem non esse monarchiam externam, in qua Romanus pontifex habeat potestatem ἀρχιερέων, sed ecclesiam ipsam pollere facultate, vocandi, eligendi et ordinandi ministros. Hanc potestatem nullo modo cum ciuili, quae ad iustitiam externam spectat, commiscendam, sed ad ecclesiam ipsam, duce euangelio, referendam esse. Ecclesiae itaque et ministrorum eius interesse, vt perpetua voluntas euangelii consideretur, cerimoniae atque ritus, iuxta eam rationem, quae ad aedificationem maxime adcommodata est, mutantur, disciplina ecclesiastica, et boni mores diligenter conseruentur.

Aug. Conf. de ecclesia p. 11. Apolog. A. C. p. 144 sq. ibid. de potestate ecclesiastica p. 292 sq. Artic. Smalcald. pag. 335. Catechism. maior p. 495. epitome articulo. p. 614 sq.

§. 150.

De notione ecclesiae in vniuersum, et Christianae in specie.

Patet autem, hanc doctrinam examinari non posse, nisi antea ecclesiae notio in vniuersum fundamenti loco subiiciatur. Nolimus enim adstipulari sententiae Melanchthonis a), qui ecclesiam sine Christi notitia fingi non posse existimauit. Simulac enim homines, ordi-

nata societate ciuili, libertati et felicitati externae prospexerunt, videbis etiam, eos virtutis et religionis amore correptos coire in *ecclesiam*, quae *respublica est ad moralem Dei, legislatoris et iudicis summi cultum, et remediorum huc spectantium vsum communem stabilita* b). Ad hanc notionem inter omnes, quae in terra existunt, ecclesias proxime accedit *Christiana*, quae *societas est piorum, ad verum Dei cultum duce Iesu Christo et intercedentibus ritibus, cum euangelio conuenientibus inita, et in visibilem atque inuisibilem, militantem atque triumphantem* a doctoribus diuiditur c).

a) *Loci theolog.* art. de ecclesia. p. 500.

b) *M. religiöse Moral* §. 157 sq.

c) *M. wissenschaftlich-praktische Theologie.* Göttingen 1797. §. 249 sq.

§. 151.

Constitutio ecclesiae Christianorum primae.

Hanc autem Christianorum ecclesiam primaeuam ita institutam fuisse deprehendimus, vt *primum* Christum, ceu summum eius doctorem (Matth. XXIII, 8), totiusque regni Christiani caput (Ephes. I, 22. IV, 15 sq. Col. I, 18) suspiceret, singulis coetibus episcopos vel presbyteros (Act. XX, 17. 28. Tit. I, 5. 7), et

diaconos praeficeret (Act. VI, 2 sq.), et institutionem publicam tum ab aliis, tum ab euangelistis et vatibus (Ephes. IV, 11) more Iudaico curari iuberet *a*). *Doctrinam* autem ita proponebant ministri verbi diuini, vt euangelii (Luc. XXIV, 47) puritatem moralem retinerent (Ephes. IV, 14); in prouincia Iesu Mes-siana, quamuis diuersa ratione ab apostolis descripta (Ioh. I, 1 sq. Col. I, 15 sq. Hebr. I, 2 sq.), consentirent omnes; et in ritibus demum atque cultu externo (Act. XV, 20. 1 Cor. VIII, 8) persuasioni suae aliquid darent et singulorum coetuum necessitatibus prospicerent. *Disciplinam* denique ecclesiasticam ita administra-bant, vt infirmis quidem parcerent eos-que tolerarent et in rectam viam redu-cerent (Rom. XIV, 20. Gal. VI, 1); erro-res tamen et licentiam morum castiga-rent (1 Cor. XI, 6. 17 - 21. Gal. VI, 1); haereticos et sceleratos ex ecclesia detur-barent, eosque diris Iudaicis prosequerentur (1 Cor. V, 5. XVI, 22). Negari nequit, in hac ecclesiae christianae con-stitutione vbique fere synagogae Iudai-cae vestigia conspici; considerandum est tamen, eam perfectionem summam tunc temporis nondum attigisse (Phil. III, 13), sed ad illam adspirauisse (Ephes. IV,

P

II-16), societatisque tantum primordiis iactis, reliqua aeuo venturo emendanda permittere debuisse b).

a) *Vitringa* de synagoga vetere p. 621 sq.
De loco Matth. XVI, 18 sq. vide theologicam biblicam tom. III. p. 199 sq.

b) *Ziegler* l. c. pag. 3 sq.

§. 152.

Constitutio ecclesiae nostrae evangelicae.

Ex Christi praecepto enim (Matth. XVIII, 18) ecclesiae evangelicae seruandae et ad maiorem in dies perfectionis gradum euehendae cura ad posterum etiam, adeoque et nos peruenit, qui rempublicam ciuilem et ecclesiasticam vinculo quidem felicissimo coniungi posse a), finem tamen, iura, officia, et administrationem vtriusque diuersa esse, haud sine ratione contendimus b). Docemus itaque, ius ecclesiae constituendae, ministros religionis vocandi, cultumque diuinum ordinandi, non ad certos titulos, vel successionem ordinariam adligatum c), sed societati ipsi proprium esse, quae pacto ciuili politiam externam, pacto ethico ecclesiam fundat (Act. II, 41. IV, 32), siue fundamenta tamen eius posuisse existimanda est d). Potestas cum hoc iure coniuncta, quum a singulis haud sine detrimento ecclesiae exerceri queat, delata est ad

iudicia ecclesiastica e), quibus vt principes regnorum, summi episcopatus vicem tenentes, praeesse possint velintque, pacis et concordiae ergo summopere optandum est f).

- a) *Stephani* über die absolute Einheit der Kirche und des Staats. Würzburg 1802.
- b) *Luther* Unterricht das geistlich und weltlich Regiment wohl unterschieden werden sollen. Opp. tom. X. p. 294 sq. 578 sq. *August. conf.* p. 38 sq. *Greiling* Hieropolis, ein Versuch über das wechselseitige Verhältniß des Staats und der Kirche. Magdeburg 1802. p. 33 sq.
- c) *Amat enim humana ratio talem picturam ecclesiae, congruentem cum ciuilibus opinionibus, et potentes intelligunt, augeri hac opinione suam auctoritatem, et hanc formam existimant ad pacem vtiliorem esse. MELANCHTHON loc. theol. p. 502.*
- d) *M. religiöse Moral* §. 107. 157 sq.
- e) *G. L. Boehmer principia iuris canonici* §. 41. *Wiese* Grundsätze des prot. Kirchenrechts. 2te Ausg. Götting. 1798. §. 360 sq.
- f) *Pufendorf* de habitu religionis Christianae ad vitam ciuilem. Bremae 1696. *Boehmer* l. c. §. 43.

§. 153.

De religionis puritate in ecclesia seruanda.

Horum autem ecclesiae iudiciorum, siue antistitum cura primaria haec esse debet, vt cultus Dei moralis (Rom.

XII, 1 sq. Ioh. IV, 25 sq.) doctrina pura, sancta et ad finem obtinendum idonea seruetur et in dies magis noua incrementa capiat. Fiet autem hoc, tum augenda Dei et veritatis, quae homines saluat (Ioh. VIII, 34 sq. 1 Tim. II, 4), per viros probos et bene instructos, cognitione, qua superstitio pellitur et pravae consuetudines hominum profligantur; tum extirpandis erroribus, litibusque obuiis dirimendis, idque non ex arbitrio hominum, qui nouae hierarchiae student, sed *ex sententia congruente cum verbo vere diuino et confessione piorum atque sapientium, siue imperitis impiisque plures sint, siue pauciores a*). Placuit itaque hunc in finem, doctores religionis Christianae sacramento adstringere, siue scripto *b*), siue fide coram data, ne quid libris sacris, vel summae eorum in symbolis ecclesiae consignatae, contrarium doceant; qua sedulitate omnino erroneas coerceri et intra officii limites contineri possunt *c*); dummodo libri, qui hinc inde pro symbolicis habentur, diuersi, cum verbo vere diuino et confessione eorum, qui nostra aetate pro sapientibus et piis habentur, semper conspirarent, quia veri norma aeternae conscientiae hominum vnice regi et ad cultum Dei moralem excitari queunt *d*).

a) *Melanchthon* l. c. p. 503.

b) *Lege imperatoris Iustiniani* prouisum erat: ἀπαιτῆσθαι πρότερον τὸν μέλλοντα χειροτονεῖσθαι παρὰ τοῦ χειροτονουῦντος λίβελλον μεθ' ὑπογραφῆς ἰδίας περιέχοντα τὰ περὶ τῆς ὁρθῆς αὐτοῦ πίστεως. *Novell. CXXXVII. cap. 2. de ordinatione episcoporum et clericorum.*

c) *Meyer* commentatio librorum symbolico-rum ecclesiae nostrae vtilitatem et subscriptiones eorundem historiam exponens. *Gotting. 1796.*

d) *Greiling* l. c. p. 108 sq. *Henke Magazin für Exegese, Religionsphilosophie und Kirchengeschichte* tom. III. pag. 356 sq. IV, 36 sq.

§. 154.

De ministris et disciplina ecclesiae.

Altera regiminis ecclesiastici cura spectat ad *ministerium ecclesiasticum*, a Iesu ipso institutum (*Matth. XXVIII, 19*), quod non sacerdotio, sed docendo verbo diuino et administrandis sacramentis expletur (*Ioh. XX, 23. 1 Cor. XI, 23. Gal. I, 8-12*). Praeficiendi nimirum sunt ecclesiis, qui cognitione religionis, dono docendi, et vitae integritate (*1 Cor. IV, 16. XI, 1. 1 Timoth. III, 1 sq.*) inter alios eminent, et more Iudaico (*Num. XXVII, 18. 23. Deut. XXXIV, 9*) ad apostolos transmissio (*Act. VI, 6. 1 Tim. V, 22*) *ordinatione*, hoc est

manuum impositione cum precibus coniuncta ad nouum munus inaugurantur *a*). *Postremum* cauere debent antistites disciplina, ne ecclesia quid detrimenti capiat scelestorum impunitate et peruicacia. Praeiuere apostoli exemplo admonitionis (Gal. VI, 1 sq.), separationis (1 Cor. V, 5. 1 Tim. I, 20), secundum gradus iam in synagoga Iudaica receptos *b*). In nostra ecclesia facinorosi primum admoneri, deinde a sacramento altaris, vltimum ab ipsa ecclesiae communione, donec emendentur et scelera vitent, arceri debent *c*). Dolendum est tamen, hanc disciplinam, qua nulla respublica carere potest, in tantum venisse desuetudinem, vt impietati et licentiae frena laxentur et omnis fere censura morum ecclesiastica auctoritate sua excidat.

a) Conf. locus insignis Mischnae l. *Sanhedrin* c. III et IV. §. 15. *Vitringa* de synag. vet. p. 840 sq. *Eichhorn* Bibliothek der bibl. Literatur tom. III. p. 408 sq.

b) *Bodenschaz* kirchliche Verfassung der Juden tom. II. p. 350 sq.

c) *Articuli Smalcaldici* art. IX. de excommunicatione pag. 335 sq. *Lutheri* opp. tom. XXII. p. 953 sq.

P A R S Q U A R T A .

D E

R E B V S P O S T M O R T E M
F V T V R I S .

P A R S Q U A R T A.
DE
REBUS POST MORTEM
FUTVRIS.

S E C T I O I.
DE
EXISTENTIA HOMINIS
POST MORTEM.

§. 155.

Doctrina V. T. de homine mortis superstitie.

Hanc tamen, quam hucusque descripsimus, salutem per Christum obtinendam, non breuem, aut praeterituram, sed ex decreto diuino aeternam esse debere, in libris sacris docemur (Ioh. III, 15 sq. XI, 24 sq.). Testantur nimirum

diserte, hominem fato suo fore superstitem, ita tamen, ut hanc doctrinam salutarem imaginibus variis inuoluant, quas a veritate ipsa distingui, maximi momenti est. Traditur enim in libris V. T. *primum*, Deum viros nonnullos sanctos ad se in coelitum domicilia recepisse (Gen. V, 24. 2 Reg. II, 11). *Deinde* docetur, animas defunctorum *apud inferos* congregari et singulari existentiae perennitate frui (Gen. XXV, 8. XXXVII, 35. XLIX, 29. Num. XVI, 30. 1 Sam. II, 6. Hiob I, 21. III, 17-19. X, 20 sq. XIV, 13. XVIII, 14. XXVI, 5 sq. Psalm. VI, 6. XVIII, 6. XLIX, 10. Ies. XIV, 9-11. XXXVIII, 9 sq. Ezech. XXXII, 21 sq.), quae in libris apocryphis adhuc eis tribuitur (Ies. Sirac. XVII, 25 sq.) *a*). *Postremum* sub exilii Babylonici tempora doctrina de orco, Aegyptiacis forte coloribus tincta (Deut. XXX, 13. Psalm. XI, 10) *b*), allegoriis chaldaicis de *mortuorum resurrectione* (Ies. XXVI, 14. 19. Ezech. XXXVII, 5-10. Dan. XII, 1-3) locum cessit, quae notionibus Messianis iunctae, a librorum apocryphorum auctoribus imprimis susceptae, et in fidem Israelitarum publicam sensim conuersae sunt (2 Maccab. VII, 9. XII, 43 sq.) *c*). Negari nequit, immortalitatem animo-

rum a nonnullis scriptoribus V. T. ignorari, ab aliis in dubium vocari (Eccles. III, 20); in vniuersum tamen patet, Iudaeos sequiores hanc doctrinam perspectam habuisse, eamque in intimam persuasionem conuertisse (Psalm. LXXIII, 23-27. Sap. Salam. II, 23. III, 1-4) d).

a) M. Abhandlung von dem Schattenreich der Hebräer, in *Paulus Memorabilien* IV, 188 sq. bibl. Theologie t. III. p. 222 sq.

b) *Lowth de poesi Hebraeorum* ed. Michaelis pag. 202 sq.

c) Ibid. p. 234 sq. *Henke Magazin für Exegese* tom. V. p. 1 sq.

d) Conf. locum insignem apud *Iosephum* de bello Iudaico lib. VII. c. 8. §. 7.

§. 156.

Doctrina N. T. de vita post mortem futura.

In libris N. T. sententia de animorum perennitate ita docetur, vt vel simpliciter proponatur (Matth. X, 28. XVIII, 8. XIX, 17 sq. XXII, 32. Ioh. IV, 14. XI, 25. Rom. VIII, 18 sq. 1 Ioh. II, 17), addita doctrina, hanc vitam tenore continuo necticum futura (Luc. XVI, 25. XXIII, 46. Act. VII, 59. 2 Cor. V, 1. Phil. I, 23); vel cum resurrectione corporis in reditu Messiae proxime expectato coniungatur.

(Matth. XXII, 30 sq. Luc. XX, 35 sq. Ioh. VI, 40. Rom. VIII, 11. 1 Cor. XV, 3-14. 35-48. 2 Cor. V, 1. Phil. III, 21. 1 Thess. IV, 14) a). In dubia loci, qui alias inter principes habitus est (Ioh. V, 20 sq.), interpretatione b), visum est nonnullis, doctrinam de resurrectione corporis non tam a Iesu ipso, quam ab apostolis (1 Cor. XV, 16) pro diuina haberi et sub diris synagogae Iudaicae (2 Tim. II, 18) c) proponi; qua de re infra copiosius exposituri sumus.

a) M. *biblische Theologie* tom. III. p. 248 sq.

b) Ibid. p. 254 sq. *opusc. m. theologica*. Erlangae 1793. p. 53 sq.

c) ואלו ישראלים שאין להם חלק לעולם הבא
האמר אין תחיית המתים: Hi ex Israelitis
vitae aeternae exsortes sunt, qui negant
resurrectionem mortuorum. *Mischnah*
tract. Sanhedrin c. XI.

§. 157.

Doctrina ecclesiastica de immortalitate animorum et resurrectione corporis.

Ab his locis procedentes theologi a) docent, post remedia salutis superesse adhuc viam, qua ad scopum propositum tendimus, duntaxat QVATVOR NOVISSIMA, mortem, mortuorum resurrectionem, extremum iudicium et consummationem seculi.

Mortem esse priuationem, lapsum protoplastorum secutam, quae corporis et animae vnionem soluat; eamque ducere ad immortalitatem, vel animae corpori superstitis perennitatem, quam probant tum ex animae et corporis diuersitate (Gen. II, 7); tum ex dicto seruatoris, eam occidi haud posse (Matth. X, 28); tum ex promissione diserta, eam ad Deum redituram esse (Eccles. XII, 7. Luc. XXIII, 43. Actor. VII, 59. Phil. I, 23). Corpus post mortem corrumpi quidem, in nihilum tamen haud redigi; animas autem neque exstingui b), neque dormire c), aut in limbo, vel purgatorio versari d), sed in coelum statim, vel infernum abire. Sub finem mundi denique instare resurrectionem vniuersalem, siue corporum eorum, qui in hac terra vixerunt, resuscitationem et ad vitam restitutionem (Hiob. XIX, 25. Matth. XXII, 31. Ioh. V, 28. 1 Cor. XV, 12 sq.); eamque non solum piorum, sed etiam impiorum (Dan. XII, 2. Matth. XXV, 32) e); atque hanc ita comparatam fore, vt idem numero et substantia corpus, quod in hac vita gessimus, de sepulcro prodeat.

a) August. conf. art. XVI. Quenstedt t. II. pag. 1698 sq.

- b) Quemadmodum statuerunt *Ἰντροψυχισται* et anabaptistae, qui animas cum corpore olim resuscitari debere docuerunt. Vid. *Quenstedt* p. 1721 sq.
- c) Ex mente *Psychopannychitarum*: vid. *Quenstedt* p. 1745. *Münscher Dogmengeschichte* tom. II. p. 422 sq.
- d) Sicuti Pontificii docent: *Bellarminus* de purgatorio lib. I. c. 1.
- e) Ita post Iudaeos quosdam, loca nonnulla V. T. (Is. XLIII, 17. Ierem. LI, 39), praetextentes, etiam *Lactantius* senserat: homines, qui virtute contenti se desiderii carnis addixerint, cadere et premi in terram: de opificio Dei c. XIX. Conf. *Ciceronis* quaest. *Tuscul.* I, 12.

§. 158.

Illustratio huius doctrinae: argumenta probabilia pro animorum perennitate.

Quae quidem sententiae priusquam sub examen vocentur, immortalitatis et resurrectionis doctrinae antea separari debent. Ad immortalitatem autem animorum quod spectat, clarum est, eam non ad scientiam, sed fidem (§. 21) pertinere, adeoque non geometricis, sed metaphysicis et moralibus argumentis adseri atque vindicari posse a). Haec autem argumenta diuidi possunt in ea, quae probabilitatem, et in alia, quae eui-

dentiam et certam persuasionem gignunt. Ad primum genus refertur probatio *historica*, quae populorum fere omnium consensu nititur *b*); *metaphysica*, quae animam substantiam indiuiduam, omnisque solutionis expertem, eaque superiorem esse docet *c*); *moralis*, quae officii atque virtutis, cui voluntas hominum adstricta est, perpetuitatem, vitam quoque immortalem portendere sumit *d*); et *teleologica*, qua nihil in rerum natura interire, omnia ad maiorem perfectionem progredi, planetam nostrum cum sideribus hunc in finem coniunctum, adeoque animum hominum ad summam existentiae perennitatem destinatum esse, ponitur *e*).

a) Krug über das Verhältniß der critischen Philosophie zur moralischen und religiösen Cultur des Menschen. Jena 1798. pag. 190 sq.

b) *Omni in re consensus omnium gentium lex naturae putanda est.* Cicero *quaest. Tuscul.* I, 13.

c) Iosephus l. c. Ficinus de immortalitate animorum lib. V. c. 1 sq. Mendelssohn's *Phaedon* p. 132 sq. *Jerusalem Betrachtungen* I, 232 sq. *Reimarus Abhandlungen.* Hamburg 1791. p. 626 sq. *Elpizon. oder über meine Fortdauer im Tode.* Danzig 1795.

d) *Cicero* de senectute c. 23. *Lactantius* de vita beata c. V. IX et X, qui liber satis commendari nequit. *Kant* Critik der praktischen Vernunft p. 219 sq. *Jacob* Beweis für die Unsterblichkeit aus dem Beweise der Pflicht. Züllichau 1794. p. 230 sq. *Dessen* allgemeine Religion p. 67 sq. *Dedekinds* Dokimion p. 104 sq.

e) *Herder* Ideen tom. I. pag. 280 sq. *Bode* Kenntniss des gestirnten Himmels pag. 608 sq. *Mendelssohn's* Phaëdon loc. cit. *Platner* Aphorismen. Leipzig 1793. t. I. p. 625 sq.

§. 159.

Exploratio horum argumentorum.

Haec autem argumenta, quamvis magna probabilitate neutiquam careant, summa tamen euidencia non pollent. Potest enim obiici *primum*, consensionem gentium de animorum perennitate tum reuera non esse plenam, tum in commentis etiam, de astronomia praesertim et religione, interdum locum habuisse; *deinde* animae, siue ad Deum redeat, siue in auras coelestes euolet, perpetuitatem immortalitatis nomine haud dignam esse, intercepta nimirum conscientia et repentia status pristini a); *postea* virtutis veraeque felicitatis desiderium animo

nostro insitum inane et termino suo excisurum esse, si a numinis voluntate et auxilio separetur; de progressu denique generis humani ad maiorem in dies perfectionem non ita constare, vt hunc mundum cum sublimiori, vel futuro tam arctis vinculis coniunctum esse statuere possimus. Quae omnia fidem faciunt dicto b), *philosophiam religionis ope destitutam tantum coniecturam aliquam habere de immortalitate quantulumcunque et qualemcunque.*

a) Conf. *Lucretium* de rerum natura lib. II. v. 298 sq. III, 864 sq. *Kant* Kritik der reinen Vernunft p. 414 sq. Ita *Confutius* et *Otabinae* mentes hominum post mortem a numine vel anima vniversi absorberi autumant. Vide *Kämpfer* Reise nach Japan tom. I. p. 305. *Cooks* dritte Entdeckungsreise übersetzt von *G. Forster*. Berlin 1787. tom. I. p. 434.

b) *Melanchthonis* in explicatione euangel. die Paschatis p. 519.

§. 160.

Argumentum theologicum.

Aliud argumentationis pro animorum perennitate genus, cui euidenciam certamque persuasionem tribuimus (§. 158), *theologicum* est, cui haec inest sententia.

Q

Si Deus sapiens est, sanctus, iustus, bonusque mundi gubernator, perennem etiam et immortalem homini per omnia secula servare debet existentiam: alias enim homo rectius cariturus esset ratione, conscientia et virtute. At enimvero Deus, qui ratione mentem et voluntatem nostram perfectioni infinitae adligat, bonus et iustus est (§. 42 sq.). Pendet itaque existentia et vita nostra a Deo, et a nutu eius per omne aevum pendere nunquam desinet. Observandum autem est in huius argumenti illustratione, primum, literas sacras nullam docere immortalitatem, quae a fide in Deum diversa sit (Ps. LXXVIII, 23 sq. Sap. Sal. III, 1 sq. Matth. XXII, 32 sq. Ioh. IV, 14. XI, 25. Rom. VIII, 18 sq.); deinde, antiquiorum philosophorum persuasionem semper ab hac fide pependisse a).

- a) Teste Cicerone (quaest. Tusc. I, 16) Pherecydes Syrius, qui primum dictus est theologus (Diog. Laert. in vita eius), primum etiam docuit, animos hominum esse sempiternos. Apud Platonem δημιουργός ita compellat homines: οὐτι μὲν δὴ λυθῆσθε γῆ, οὐδὲ τέτυκθε θανάτου μόρας, τῆς ἐμῆς βουλήσεως μέζονος ἐστὶ δέσμου καὶ κυριωτέρου λαχόντες ἐκείνων, οἷς ὅτ' ἐγλυψεθε συνεδέεσθε. *Timaeus* p. 325. edit. Bipont.

§. 161.

Consectaria huius doctrinae.

Posita autem animorum immortalitate, hoc nimirum consilio, ut ad maiorem in dies perfectionem et similitudinem cum Deo euehantur (§. 60), sequitur etiam *primum*, summa continuitate iungi hanc vitam cum futura. Testes habemus scripturam sacram (Matth. XXII, 32. Luc. XVI, 25. XXIII, 46. Act. VII, 59. 2 Cor. V, 1 sq. 2 Tim. IV, 8); analogiam experientiae, qua in omni rerum natura somni et quietis interuallum non nisi ad reficiendas vires interponi videmus; et rationem ipsam, quae nullo non temporis momento intercepto ad aeternam naturae nostrae perfectionem progrediendum esse iubet. *Deinde* patet, animum cum sui conscientia, nisi particulari, vniuersali tamen, adeoque cum corpore, animi receptaculo qualicumque, quod numine providente inibit, exuuiis hisce mortalibus fore superstitem. A mente enim finita spatii limites, adeoque etiam corporis natura, separari vix possunt; animus ipse sine sensibus se intelligere nequit; sine intelligentia autem et conscientia sui culpaе atque meriti cogitatio, proptereaue etiam felicitas vel in-

Q 2

felicitas mundi futuri locum habitura non esset a).

- a) Cicero quaest. Tusculan. lib. I. c. 22 sq. Alexander Baumgarten metaphysica ed. 3. §. 786 sq. Less' opuscula theologici et homiletici argumenti tom. I. p. 236 sq. tom. II. p. 337. Dedekinds Dokimion. Hannover 1797. p. 139 sq. Platner Aphorismen ed. 2. tom. I. p. 627 sq.

§. 162.

Doctrina de resurrectione corporis illustrata.

In resurrectionis doctrina (§. 158) denique multa sunt, quae profundiorē rei indagationem requirant. Certum enim est, primum, institutionem de corporibus mortuorum olim suscitandis, origine vix diuinam esse, sed e Chaldaea in religionem Iudaeorum (§. 155) irrepsisse a), et apud plures alias, easque remotissimas gentes deprehendi, quae animos ad fidem immortalitatis nondum erexerant b). Deinde Iesus in locis, quae huc spectant omnibus (§. 156), inprimis in loco deserto (Ioh. V, 23–28), de resurrectione corporis allegorice magis, quam proprie verba facere; et Paulus ipse in locum pharisaicae, quam proposuerat (1 Cor. XV, 42 sq.), sententiae meliorem substituere videtur (2 Cor. V,

1 sq. Phil. I, 23. 2 Tim. IV, 7 sq.) c). Adde doctrinam Messianam de resurrectione corporum, non solum tempore apostolico (Act. XVII, 32. 1 Cor. XV, 12. 2 Tim. II, 17), sed aevo adhuc sequiori plurimos, eosque acutissimos semper aduersarios inuenisse d).

a) *Zendavesta* im Kleinen von Klenker part. II, pag. 129. *Stanleii* historia philosophiae Chaldaicae cap. X. sect. 2. *Knorr* a *Rosenroth* synopsis libri *Sohar* cap. XI. in *Cabbala denudata*. Neque dubitauerim, *Chrysippum* etiam, cui *Lactantius* (de vita beata c. 23) quandam huius doctrinae cognitionem tribuit, eam ex oriente hausisse.

b) Nominauimus auctores in der wissenschaftlichen practischen Theologie p. 305. Adde loca sequentia in libris: *Ides voyage de Moscou à Chine*, dans les voyages au Nord. Amsterdam 1727. tom VIII. p. 14. *Steller* Beschreibung von Kamtschatka p. 269. *Cranz* Geschichte von Grönland pag. 380 sq.

c) Vide §. 156. et *Eichhorn* Bibliothek der biblischen Literatur tom VII. p. 977 sq. In alia abit *Mosheim* in dissertatione, qua docetur, seruatorem nostrum Iesum Christum resurrectionem mortuorum corporum, qualem Christiani credunt, ex tenebris in lucem reuocasse: *dissertatt. ad hist. eccles. pertin.* Vol. II, p. 573 sq.

et auctor anonymus in *Ständlin's* Beiträgen zur Geschichte der Religion t. II. p. 93 sq.

d) *Epiphani*, haeres. XXII. contra Marcionitas §. 4. *Minucius Felix* c. XI. *Tertullian*, apologet. c. L. *Conf. Kortholtii* paganus obiectator p. 145 sq.

§. 163.

Continuatio.

Neque ista minima est difficultas, quae a corporis nostri, quotidie mutandi a), post mortem solutione et transfiguratione in alia corpora, partim iterum humana, sumta est b). Quid quod ipsae literae sacrae docent, animam post mortem statim novis sensibus, organis, adeoque et corpore instructam vitam in mundo futuro degere veram et efficacem (Luc. XVI, 22. XXIII, 43. Phil. I, 23. 1 Petr. III, 19), qua novo in domicilium suum terrestre reditu felicissime carere possit c). Postremum sententia ecclesiastica, quae corporis mortui cum anima coelesti coniunctionem vrget d), non omnipotentiae solum divinae diffidere videtur, sed quaestionibus etiam variis, hisque curiosis e) viam sternit, in quibus doctrina puriori facile supersederi potest.

a) *Haller* elementa physiologiae tom. VIII. p. 2. pag. 65. Bernae 1766. 4.

- b) *Grotius* de veritate religionis Christianae lib. II. §. XI. *Jacobs* allgemeine Religion p. 217. De ossiculo $\pi\lambda\lambda$, ex quo Iudaei corpora olim instauratum iri putant, vide *Eisenmengeri* entdecktes Judenthum t. II. pag. 930 sq.
- c) *Schoettgen* hor. hebraicae ad 2 Cor. V, 1. in *opuscula theologica*. Erlangae 1793. pag. 90 sq.
- d) $\Pi\alpha\nu\ \gamma\alpha\rho\ \tau\omicron\ \pi\iota\pi\tau\omicron\nu\ \alpha\nu\alpha\sigma\tau\acute{\alpha}\sigma\epsilon\omega\varsigma\ \theta\epsilon\iota\tau\alpha\iota\ \pi\iota\pi\tau\alpha\iota\ \delta\grave{\alpha}\ \delta\upsilon\chi' \eta\ \psi\upsilon\chi\eta\ \alpha\lambda\lambda\grave{\alpha}\ \sigma\omega\mu\alpha$. (*Epiphan.* haer. XXII. lib. XLII. §. 5.
- e) *Bayle* dictionnaire historique et crit. voc. *Barcochebas* not. K. *Augustinus* de ciuit. D. lib. XXII. c. 13. quem omnino vide.

§. 164.

Conclusio.

In tanta autem argumentorum gravitate mirari haud subit, iam a primis inde temporibus fuisse inter Christianos, qui $\tau\alpha\upsilon\tau\acute{o}\tau\eta\tau\alpha$ corporis e pulvere in vitam resuscitandi in dubium vocarent, animosque post mortem novis corporibus a Deo indutum iri statuerent a). Ad quam sententiam si quis et nos accedere velit, ille teneat quaeso, adesse quidem hinc inde argumenta, quae doctrinam ecclesiasticam in gratiam vulgi, similitudinibus adsuefacti, etiamnum retineri suadeant; reuera autem, resur-

rectionem pulcherrimam esse somni mortis, e quo numine propitio, nono, eoque meliori corpore instructi (1 Cor. XV, 44 sq.) ad vitam aeternam excitabimur, imaginem. Quae ad hanc doctrinam praeterea e Chaldaeorum, aut Pharisaeorum scholis adduntur, auctoritate divina neutiquam pollere, adeoque etiam vltra allego-
 riarum umbras adscendere non videntur b).

a) Vide, quae post Gnosticos et Origenem hac de re iam disputauerat Philoponus Alexandrinus, apud *Cavium in scriptorum ecclesiasticorum historia literaria*, Oxonii 1740. tom. I. p. 567.

b) *M. wissenschaftlich-praktische Theologie* pag. 307 sq.

S E C T I O II.
DE
SORTE HVMANA POST MORTEM
EXSPECTANDA.

§. 165.

Doctrina biblica de iudicio post mortem futuro.

Antiquissimis Hebraeorum temporibus doctrina de iudicio numinis et inferis metuendo, nisi ignota, incerta tamen fuit et ambigua (Hiob. XVIII, 14. XXVI, 5 sq. Psalm. VI, 6). Sub exilii Babylonici tempora demum, postquam natio Israelitica multas ab ethnicis vexationes perpessa erat, Hebraeorum vates minantur, fremendum adfore diem Iehouae, quo de populi sui tyrannis gravissimas poenas sumpturus esset (Is. XXXIV, 8 sq. XXV, 1 sq. LXV, 17. AXVI, 22. Ioel. IV, 2. Malach. III, 2. Dan. VII, 10 sq. Iudith XVI, 20 sq. Sapient. Salom. III, 8). In libris N. T. doctrina de iudicio diuino, quod hominibus instat omnibus, a Iesu ita proponitur, vt primum virtutem praemio diuino nunquam destitui, malitiam sibi vbicunque poenam esse doceat (Matth. VIII, 11 sq. Ioh. III, 17 sq. V, 30); deinde iudicii Messiani

typo atque allegoriis utatur (Matth. XVI, 27 sq. XXV, 31 sq.), piis coelestis regni gaudia promittat (Matt. XXV, 34), impiis flammarum inferni supplicium aeternum comminetur (Ibid. v. 41. Marc. IX, 48). Ad hanc synedrii coelestis formam apostoli doctrinam de iudicio Dei post mortem expectando adumbrare omnes (Act XVII, 31. 2 Cor. V, 10. 2 Petr. II, 4). Adfuturum esse Messiam cum archangelis et tuba (1 Cor. XV, 52. 1 Thess. IV, 16), ad mortuos excitandos, mutandos et iudicandos; orbe terrarum flammis consumto, novum coelum terramque conditum iri (2 Petr. III, 12 sq.); electos perpetua Dei Iesuque societate fruituros (1 Thess. IV, 17), impios ad perniciem aeternam abituros esse (2 Thess. I, 9).

Schoettgen de synedrio coelesti, in horis hebr. et talm. tom. I. p. 122 sq. Beschreibung des Weltgerichtes nach dem Talmud in *Schmidts* Bibliothek für Kritik und Exegese des N. T. tom. II. part. I. p. 72 sq. m. *biblische Theologie* tom. III. pag. 264. sq.

§. 166.

Doctrina ecclesiastica de iudicio extremo.

Ex locis hisce omnibus prodiit doctrina ecclesiae, post iudicium *particulare*, quod homini cuius in agone mortis in-

stat, adhuc expectandum esse iudicium *extremum*, idque vniuersale (Act. XVII, 31. Rom. III, 5 sq.), quo filius Dei secundum vtramque naturam (Ioh. V, 27), administris tamen angelis (Matth. XXV, 31), apostolis (Matth. XIX, 28), et sanctis omnibus (1 Cor. VI, 2 sq.), ad normam doctrinae coelestis (Ioh. XII, 48. Matth. XXV, 34), sententiam pronuntiabit de angelorum (1 Cor. VI, 3. 2 Petr. II, 4. Iud. 6), et hominum (Matth. XXV, 32. 2 Cor. V, 10), sorte futura. Tempus huius iudicii ignorari (Matth. XXIV, 36); locum eius designari in regione inter coelum terramque media (1 Thess. IV, 17); signa iudicii appropinquantis esse praedicationem euangelii in terra vniuersa (Matth. XXIV, 14), reuelationem Antichristi (2 Thess. II, 3), et prodigia in terra coeloque varia (Matth. XXIV, 29).

Melanchthon de resurrectione mortuorum in loc. theol. pag. 580 sq. *Quenstedt* tom. II, pag. 1798 sq.

§. 167.

Continuatio.

Distingui autem debere in hoc iudicio vniuersali *primum* causae cognitionem (Matth. XXV, 35. 42. 1 Cor. IV, 5), deinde sententiae publicationem (Matth. XXV, 46), et executionem (ibid.). *Püß*

enim et electis dabit Christus vitam aeternam et perpetua gaudia; impios autem homines ac diabolos condemnabit, ut sine fine crucientur a). Peractum iudicium sequetur finis seculi et consummatio mundi per ignem (Psalm. CII, 27. 2 Petr. III, 7. 10), ita ut totum hocce vniuersum, angelis tamen et hominibus exceptis, aboleatur et in nihilum reducatur (Apoc. XX, 11. Luc. XXI, 53. Es. XXXIV, 4), idque hunc in finem, ut Dei gloria manifestetur (1 Cor. XV, 24), fideles liberentur (Luc. XXI, 24), et impii condemnentur (2 Petr. II, 9). Damnari ceterum eos, qui non solum poenarum infernalium finem futurum esse statuunt, sed fanaticis etiam opinionibus de regno mille annorum (Apoc. XX, 4), et Christi aduentu ante iudicium extremum sperando fauent.

a) August. conf. ort. XII. de Christi reditu ad iudicium *Leibnitii* Theodicea §. 266 sq.

b) *Quenstedt* tom. II. p. 1840. *Burnet* theoria telluris sacra. Londin. 1689. *Sherlok* vom jüngsten Gericht. Lübeck 1717. Conf. autores ab *Heumanno* ad 1 Cor. VI, 2 sq. excitatos.

§. 168.

Illustratio critica doctrinae de iudicio extremo.

In hac autem doctrina, quamuis multa insint, quae animum metu salutari cor-

